
JOSEPHI JACOBI PLENCK,

Chirurgiæ Doctoris, nec non Chirurgiæ, Anatomes atque Artis Obſtetriciæ Profeſſoris Regii, publici ac ordinarii in Regia Univerſitate Budenſi.

DOCTRINA DE MORBIS OCULORUM.



Editio ſecunda, aucta.

VIENNÆ,

APUD RUDOLPHUM GRÆFFER.

1783.

La partie de l'oeil, quoique bornée, préſente une riche moiſſon, pour occuper long-temps nombre d'obſervateurs.

Janin.

ILLUSTRISSIMO,
MAGNIFICO,
AC
CELLEBERRIMO
DOMINO DOMINO
ANTONIO
LIB. BARONI
DE
STÖRCK,
DOMINO IN JETELSEE
AUGUSTISSIMO IMPERATORI
A
CONSILIIS AULICIS
ARCHIATRORUM COMITI, STUDII MEDICI, ATQUE INCLYTÆ FACULTATIS
MEDICÆ VINDOBONENSIS
PRÆSIDI, AC DIRECTORI
PERPETUO.

PER UNIVERSAS

AUSTRIÆ PROVINCIAS

PROTOMÆDICO,

NOSOCOMII PAZMANNIANI

PHYSICO,

SOCIETAT. EDINBURG., BOTAN. FLORENT., MED. PARISIN. ACAD. SCIENT. NEAPOL. SIEN., ACAD. PRINC. HASS. INSTIT. BONON. ACAD. NAT. CUR. DEGLI AGIATI DI ROVEREDO

MEMBRO, &c. &c.

IN

GRATITUDINIS MONUMENTUM

OB

CHIRURGIAM OCULARIAM

peculiari ſparta ornatam.

Haſce qualescunque lineas
ſacras vult

AUCTOR.

PRÆFATIO.

QUAMVIS inter ſenſuum organa oculo præſtantius, magisque neceſſarium ſit nullum, neſcio tamen quo triſtiſſimo fato hæc chirurgiæ pars, quæ divini hujus membri ægritudines complectitur, diu adeo manibus empyricorum tradita, relictaque fuerit. Inde promanat ratio, cur etiam morborum ocularium doctrina progreſſum habuerit adeo tardum ac exiguum, ut vix non omnem noſtri ſæculi Scriptoribus debeamus. Priori enim ævo, quamprimum quis cataractæ depoſitionem, occœcando quamvis ægrotos, perficere novit, ſemet jam medicum ocularium evaſiſſe, ſibi aliisque vana oſtentatione ſuadebat, ac nullis non oculorum morbis mederi poſſe, gloriabatur.

Sicque cum corporis noſtri nobiliſſimo organo ludebatur, donec ſummi in arte viri & huic doctrinæ ſuam operam conſecrarent, græcorum, arabumque de hac ſcientia notitiam perſcrutarentur, ſolidiſſima optices theoremata adhiberent, ipſique ſa-

lutiferas huic organo manus applicarent. Inter hos clariſſimos viros primi exſtitere *Bartiſch*, *Saint-Yves*, *Mauchart*, *Boerhaave*, *Petit*, *Daviel*, *Sauvages*, *Gerin*, *Gendron*, *Hellman*, *Odhelius* &c. plurimum tamen chirurgia ocularia induſtriæ Celeber. *Janini*, *Richteri*, & *Potii* debet.

Nec erubeſco, quin gratus fatear, me horum maximorum virorum veſtigia preſſiſſe, illorumque medelas propoſuiſſe, omiſſis curationibus invalidis, obſoletis, dubiis, periculoſis; hæc enim commentariis transſcribo.

Sufficit interim mihi, ſi inſignem hujus doctrinæ ambitum, ingentemque morborum oculos infeſtantium numerum, quorum hicce libellus 118 expendit, in naturalem redegerim ordinem, quo authorum, in diverſa abeuntium, opiniones, curationesque proponi, rimarique commode poſſint.

INDEX MORBORUM OCULARIUM.

MORBI SUPERCILIORUM.

Madarosis, *der Augenbraumausfall.*
Phthyriaſis, *die Augenbraumlausſucht.*
Vulnera ſuperciliorum, *die Wunden der Augenbraume.*

MORBI CILIORUM.

Trichiaſis, *die Einwärtskehrung der Augenliederhaare.*
Diſtichiaſis, *die doppelte Reihe der Augenliederhaare.*

MORBI PALPEBRARUM.

Anchyloblepharon, *die Zuſammwachſung der Augenlieder.*
Symblepharon, *die Anwachſung der Augenlieder.*
Blepharophthalmia, *die Augenliederentzündung.*
Oedema palpebrarum, *die Waſſergeſchwulſt der Augenlieder.*
Emphyſema palpebrarum, *die Luftgeſchwulſt der Augenlieder.*
Ecchymoma, *die Blutunterlaufung der Augenlieder.*
Atheroma, *die Breygeſchwulſt der Augenlieder.*
Sarcoma palpebrarum, *das Fleiſchgewächs der Augenlieder.*

Scirrhus palpebrarum, *die Verhärtungsgeſchwulſt der Augenlieber.*
Carcinoma palpebrarum, *der Krebs der Augenlieder.*
Carbunculus palpebrarum, *der Karbunkel der Augenlieder.*
Hordeolum, *das Gerſtenkorn.*
Chalazion, *das Hagelkorn.*
Hydatis, *die Waſſerblaſe der Augenlieder.*
Milium, *das Hierſenkorn.*
Morum palpebrarum, *die Maulbeer.*
Verrucæ palpebrarum, *die Warzen der Augenlieder.*
Trachoma, *die Augenliederrauhigkeit.*
Blepharoptoſis, *der Augenliedervorfall.*
Lagophthalmus, *das Haaſenauge.*
Ectropium, *die Auswärtskehrung des Augenlieds.*
Entropium, *die Einwärtskehrung des Augenlieds.*
Pſorophthalmia, *die Augenliederflechte.*
Rubor marginum palpebralium, *die Röthe der Augenliederränfte.*
Tyloſis, *die Augenliederkalloſität.*
Vulnera palpebrarum, *die Wunden der Augenlieder.*
Fiſtulæ palpebrarum, *die Fiſteln der Augenlieder.*
Coloboma, *der Augenliedſpalt.*
Nictitatio, *das Blinzen der Augenlieder.*
Spaſmus palpebrarum, *der Krampf der Augenlieder.*
Pruritus palpebrarum, *das Jucken der Augenlieder.*

MORBI VIARUM LACRUMALIUM.

Scheroma, *die Trockenheit der Augen.*
Epiphora, *der Thränenflus.*
Lippitudo, *das Eitertriefen der Augenlieder.*

Hydrops ſacci lacrumalis, *die Waſſerſucht des Thränenſacks.*
Anchylops, *die Augenwinkelgeſchwulſt.*
Ægylops, *das Augenwinkelgeſchwür.*
Fiſtula lacrumalis, *die Thränenfiſtel.*
Encanthis, *die Thränenkarunkelauswachſung.*
Rhyas, *das Schwinden der Thränenkarunkel.*
Peribroſis, *die Augenwinkelzerfreſſung.*
Lemoſitas, *die Augenwinkelunreinigkeit.*
Lacrumatio ſanguinea, *das Blutweinen.*

MORBI MEMBRANÆ CONJUNCTIVÆ.

Ophthalmia, *die Augenentzündung.*
Ophthalmodinia, *der Augenſchmerz.*
Varicoſitas conjunctivæ, *die Kropfadern der Augen.*
Ecchymoſis, *die Blutunterlauffung.*
Puſtula, *die Eiterblattern.*
Phlyctæna, *die Waſſerblattern.*
Papula, *die Knoten.*
Carunculæ, *die Fleiſchwarzen.*
Carbunculus, *der Karbunkel.*
Ulcus albugineæ, *das Geſchwür der weiſſen Augenhaut.*
Aliena oculis illapſa, *fremde Körper im Auge.*

MORBI CORNEÆ.

Obſcuratio corneæ, *die Verdunklung der Hornhaut.*
Maculæ, *die Flecke.*
Pterygium, *das Augenfell.*
Staphyloma, *das Staphylom.*

Onyx, *das Hornhautapoſtem.*
Velcoma, *das Geſchwüre der Hornhaut.*
Fiſtula corneæ, *die Fiſteln der Hornhaut.*
Vulnus corneæ, *die Wunde der Hornhaut.*
Rhytidoſis, *das Zuſammenfallen der Hornhaut.*
Puſtulæ, *die Eiterblattern.*
Phlyctenæ, *die Waſſerblattern.*
Carunculæ, *die Fleiſchwarzen der Hornhaut.*

MORBI BULBI.

Atrophia bulbi, *der Schwund des Augapfels.*
Exophthalmia, *das Ochſenaug.*
Ophthalmoptoſis, *der Vorfall des Augapfels.*
Carcinoma bulbi, *der Krebs des Augapfels.*
Tetanus bulbi, *der Augapfelkrampf.*
Nyſtagmus bulbi, *die Augapfelzukung.*
Vulnus bulbi, *die Wunde des Augapfels.*
Defectus oculi, *der Abgang des Auges.*
Oculus ſupernumerarius, *das überzählige Aug.*

MORBI IRIDIS.

Mydriaſis, *die Augenſternerweiterung.*
Myoſis, *die Augenſternverengerung.*
Synizeſis, *die Augenſternverwachſung.*
Synechia, *die Regenbogenanwachſung.*
Ptoſis iridis, *der Regenbogenvorfall.*
Vulnus iridis, *der Spalt des Regenbogens.*
Deformitas pupillæ, *die Ungeſtaltheit des Augenſterns.*
Pupilla præternaturalis, *der widernatürliche Augenſtern.*
Hippus, *die Zuckung des Augenſterns.*
Immobilitas pupillæ, *die Unbeweglichkeit des Augenſterns.*

MORBI HUMORIS AQUEI.

Hydrophthalmia, *die Augenwaſſerſucht.*
Hypopyum, *das Eiteraug.*
Hypoæma, *das Blutaug.*
Hypogala, *das Milchaug.*
Turbiditas humoris aquei, *die Verdunklung der wäſſerichten Feuchtigkeit.*
Effluvium humoris aquei, *der Ausflus der wäſſerichten Feuchtigkeit.*

MORBI LENTIS CRYSTALLINÆ.

Cataracta, *der graue Staar.*
Prolapſus lentis cryſtallinæ, *der Vorfall der Kryſtallinſe.*

MORBI HUMORIS VITREI.

Glaucoma, *die Verdunklung der gläſernen Feuchtigkeit.*
Synchyſis, *die Auflöſung der gläſernen Feuchtigkeit.*
Prolapſus humoris vitrei, *der Vorfall der gläſernen Feuchtigkeit.*

MORBI RETINÆ ſeu VISUS.

Photophobia, *die Lichtſcheue.*
Amauroſis, *der Schwarze Staar.*
Amblyopia, *das ſchwache Geſicht.*
Oxyopia, *das alzuſcharfe Geſicht.*
Nyctalopia, *die Tagblindheit*
Hemeralopia, *die Nachtblindheit*
Myopia, *die Kurzſichtigkeit.*
Presbyopia, *die Weitſichtigkeit.*
Hemiopia, *das Halbſehen.*

Myodeſopſia, *das Mückenſehen.*
Viſus reticularis, *das Netzſehen.*
Viſus nebuloſus, *das Nebelſehen.*
Metamorphopſia, *das Ungeſtaltſehen.*
Crupſia, *das Farbenſehen.*
Photopſia, *das Lichtſehen.*
Strabiſmus, *das Schielen.*
Luſcitas, *das ſchiefe Sehen.*
Diplopia, *das Doppeltſehen.*





DE
MORBIS OCULORUM
GENERATIM.

Morbi, qui oculos infeſtant, in *communes* atque *proprios* dividi ſolent.

Communes dicuntur, qui in pluribus noſtri corporis partibus eodem modo ut in oculis obſervantur.

Proprii ſunt, qui ſolis in oculis inveniuntur, & a morbis communibus ſua indole differunt.

Conſultiſſimum eſſe duco, ſi ſingulæ partis morbos, tum communes tum proprios, ordine anatomico, quo partes oculi locantur, conſideremus.

MORBI SUPERCILIORUM.

MADAROSIS.

Eſt ſuperciliorum & ciliorum defluvium vel defectus. *

* Vox eſt græca a μαδαρὸς *glaber*. Dicitur etiam *Ptiloſis* a πτιλὸς *calvus*. Aliis hic morbus vocatur *Milphoſis*.

Effectus morbi ſunt ingrata deformitas & fortioris lucis intolerantia.

Species madaroſeos ſunt:

1. *Madarosis spontanea*, quæ lepræ, atque luis venereæ inveteratæ ſymptoma eſt. Hæc madaroſis cenſetur *incurabilis* ob bulbos pilorum acrimonia deſtructos.

2. *Madarosis a rasura superciliorum*. In hac ſpecie ſupercilia iterum intra duos annos renaſcuntur. *

3. *Madarosis ab evulsione ciliorum*, ut in trichiaſi contingit. Etiam cilia evulſa, at rigidiora, recreſcunt.

PHTHIRIASIS SUPERCILIORUM.

Eſt pediculorum latorum in ſuperciliis & tarſis ciliorum nidulatio. **

Hoc vitium eſt infantibus familiare, atque plerumque immunditiei debetur.

Curatur unguento mercuriali, quod locis obſeſſis aliquoties illini debet. Laudatur etiam oleum ſpicæ.

---

* *Illuſtr.* Halleri *Phyſiolog.* T. V. p. 38.

** *Illuſtr.* Sauvages *Noſologia methodica edit.* in 4. T. II. p. 603. in phthyriaſi interna totius corporis pediculi ipſis ex oculis proveniebant.

VULNERA SUPERCILIORUM.

Vulnera ſupercilio illata quandoque gravia inducunt ſymptomata. *

Species ſunt:

1. *Vulnus simplex*, ubi ſola integumenta læſa ſunt. Hæc vulnera blepharoptoſim cauſant, ſi palpebra ſuperior a curatione longior manet, & lagophthalmum, ſi a cicatrice nimis arcta brevior evadit. Hinc ne hæc mala oriantur, vulnus tale eſt legitime uniendum & conſolidandum.
2. *Vulnus complicatum cum læsione nervi frontalis*, qui a foramine ſuperciliari egreditur. Hæc læſio amauroſim infert, quæ utplurimum ſub vulneris ſanatione primum oritur. V. *Amauroſis a vulnere ſupercilii.*

MORBI CILIORUM.

TRICHIASIS.

Eſt directio ciliorum verſus oculi bulbum. **

---

* Platner *Proluſio de vulneribus ſuperciliis illatis.* *Opuſc.* T. 2. & Genga *anatomia chirurgica* p. 239.

** Dicitur etiam *trichoſis* a θρὶξ *pilus.* V. Cortum *Diſſ. de trichoſi*, & Heisteri *Diſſ. de trichiaſi oculorum.*

Rariſſime in ſuperiori, utplurimum in inferiori tarſo palpebrarum hoc vitium deprehenditur.

Causa hujus mali eſt quandoque nativa, quandoque calloſitas aut cicatrix ciliis directionem dat iniquam.

Effectus hujus morbi ſunt conjunctivæ atque corneæ perpetua ſub omni nictitatione irritatio, inde immanis dolor, inflammatio oculi, ulcera, maculæ, opacitas corneæ, quandoque cæcitas,

Species trichiaſeos ſunt:

1. *Trichiasis totalis*, quando cilia omnia introrſum vergunt.

2. *Trichiasis partialis*, ſi ſolummodo quædam cilia faſciculi adinſtar verſus oculi bulbum dirigantur.

Curatio radicalis exigit deſtructionem bulborum. Hinc 1. ope peculiaris volſellæ evellantur cilia, ſenſim ac interpolatis diebus: dein 2 porus evulſi cilii vel ſeta porcina vel mediante tenui penicillo impleatur ſpiritu ſalis ammoniaci vel ſolutione paſtæ depilatoriæ, * vel acu candente tangatur.

Fruſtra reſecantur cilia, nam rigidiora recreſcunt. Fruſtra mediante emplaſtro cilia palpebræ agglutinantur, nam ablato emplaſtro brevi iterum in vitioſum ſitum redeunt.

* Plenck *Pharmacia chirurgica* 1780 *Viennæ* p. 198.

3. *Tri-*

3. *Trichiasis a distichiasi*, eſt rariſſima trichiaſeos ſpecies. V. *Diſtichiaſim.*

4. *Trichiasis ab entropio*, hæc ſpecies ſymptoma eſt entropii; frequentiſſime obſervatur, & exigit curationem introverſi tarſi palpebralis. V. *Entropium.*

DISTICHIASIS.

Eſt duplicata ſeries ciliorum, quarum una extrorſum, altera introrſum verſus oculi bulbum creſcit.

Causa proxima eſt vitium primæ conformationis, qua vitioſus numerus & ſitus bulborum oritur. *Effectus* ſunt ut in trichiaſi.

Curatio rariſſimi hujus morbi exigit, ut interna ſeries ciliorum exſtirpetur evulſione & eroſione, ut in *trichiaſi* ſuaſimus.

MORBI PALPEBRARUM.

ANCHYLOBLEPHARUM.

Eſt palpebrarum in ſuis tarſis concretio. *

Hæc concretio vel *totalis*, ſi integra palpebrarum commiſſura, vel *partialis* vocatur, quando ſolum pars quædam hujus commiſſuræ concreta eſt.

* Ab ἀγκύλη *concretio* & βλέφαρον, *palpebra.*

Species hujus mali ſunt:

1. *Anchyloblepharum congenitum*, quod in infantibus recens natis obſervatur. Tarſi palpebrarum in hac ſpecie utplurimum in ſolo angulo externo ad dimidium commiſſuræ cohærent.

Curatio anchyloblephari exigit, diſciſſionem marginum palpebralium: hæc facillime, palpebris diductis, ope cultelli cum cuſpide capitato peragitur.

2. *Anchyloblepharum adventitium*, quod a prægreſſa inflammatione, ambuſtione, vel eroſione marginum palpebralium oritur.

Diſſectio in anchyloblepharo *totali* cultello acuto incipitur, & dein cultello capitato juxta commiſſuram palpebralem continuatur. Vulnus vino tepido exſiccetur.

3. *Anchyloblepharum spurium*. Eſt apparens palpebrarum concretio, in qua margines & cilia palpebrarum ſpiſſo glutine puriformi, e glandulis Meibomianis exſudante, tempore ſomni vel oculis diu clauſis firmiter agglutinantur. Eſt ſymptoma lippitudinis & variolarum.

Curatio exigit humectationem concretionis lacte tepido & dein curationem lippitudinis. V. *Lippitudo*.

SYMBLEPHARUM.

Eſt palpebræ concretio cum oculi bulbo.

Hoc malum potiſſimum in ſuperiori, rariſſime in inferiori palpebra obſervatur.

Causæ hujus concretionis ſunt vitium *malæ conformationis* vel *ulceratio* corneæ, conjunctivæ vel internæ palpebrarum ſuperficiei, aut *ſcarificatio*, vel *ambuſtio* oculi, præſertim ſi oculi diu clauſi manent.

1. *Symblepharum totale*, quando tota palpebra bulbo, id eſt conjunctivæ & corneæ adhæret. Hoc malum niſi recens ſit, incurabilem inducit, etiam diſciſſis partibus, cæcitatem. Concretus enim corneæ locus, opacus manet.

2. *Symblepharum partiale*, quando ſolum particula quædam palpebræ cum *conjunctiva* vel quod pejus eſt, cum *cornea* cohæret.

Curatio exigit, ut bene protracta palpebra ope cultelli a parte concreta ſeparetur.

Poſt diſciſſionem ſerventur oculi aperti, moveantur ſæpius & illinantur cremore lactis vel linimento ex butyro, & tutia, ne iterum accretio fiat.

BLEPHAROPHTHALMIA.

Eſt inflammatio palpebrarum.

Species hujus morbi ſunt:

1. *Blepharophthalmia violenta*, quæ contuſionem vel vulnus palpebrarum, aut extractionem cataractæ ſequitur.

Curatur fomento ex herbis cephalicis vino infuſis.

2. *Blepharophthalmia ab ictu insecti*, ut veſpæ vel apis.

Curatur aqua frigida, forma fomenti oculo applicata.

3. *Blepharophthalmia spontanea*, quæ a depoſitione alicujus acrimoniæ oritur. Comitatur eryſipelas faciei, hordeolum, lippitudinem & ſtadium variolarum ſuppuratorium.

Curatio exigit purgantia, & alia derivantia ab oculis.

OEDEMA PALPEBRARUM.

Eſt intumeſcentia palpebrarum cuti concolor, indolens, mollis, digiti impreſſi foveam retinens.

Causa proxima eſt roris aquoſi congeſtio in tunica celluloſa palpebrarum.

Hoc malum eſt utplurimum ſymptoma alius morbi.

Species ſunt:

1. *Oedema symptomaticum*, quod anaſarcæ & cloroſeos eſt ſymptoma.

Curatur roborantibus.

2. *Oedema idiopathicum*, quod a cauſa ipſis in palpebris hærente, ortum eſt. Cataplaſmata emollientia palpebras ſæpe oedematoſas reddunt.

Curatio exigit roborantia externa.

EMPHYSEMA PALPEBRARUM.

Eſt palpebrarum intumeſcentia ab aere in telam celluloſam inſinuato.

Hoc malum horrendum in modum palpebras inflat ac ſemper emphyſematis univerſalis, aut phyſocephali eſt ſymptoma.

Curatur ablata emphyſematoſi. V. in chirurgia *tumores aëreos.*

ECCHYMOMA PALPEBRARUM.

Eſt palpebrarum intumeſcentia livida, a ſanguine in membranam celluloſam effuſo.

Species ecchymomatum palpebralium ſunt:

1. *Ecchymoma violentum*, quod a contuſione oculi & palpebrarum naſcitur.

   Curatur venæſectione & fomento ex herbis cephalicis vino infuſis.

2. *Ecchymoma consecutivum*, quod contuſionem frontis vel ſyncipitis non primo ſed tertio vel quarto die, a defluente in tela celluloſa cruore, ſequitur.

   Curatur ut prior ſpecies.

3. *ECCHYMOMA SPONTANEUM*, eſt livor palpebrarum, qui ſcorbuticos, puellas menſtruantes aut opilatas, gravidas, atque alios morbos internos comitatur.

Curatio exigit ablationem morbi primarii.

ATHEROMA PALPEBRARUM.

Eſt tumor cyſticus, materiem pultaceam continens, qui in palpebra ſuperiori verſus canthum oculi temporalem utplurimum naſci ſolet.

Hic tumor eſt mobilis, indolens, cuti concolor. Quandoque magnitudinem nucis avellanæ, quandoque nucis juglandis habet. Subinde autem palpebram integram in magni farciminis formam diſtendit.

Curatio. Incipientis atheromatis reſolutio ſpiritu ſaponaceo, vel oleo lavendulæ tentari poteſt, adulto tumori ſolus culter opitulatur.

Cutis ſaccum tegens, in plicam elevata transverſim diſcindatur, dein ſaccus a tela celluloſa totus ſeparetur, & extrahatur, vel ſaltem magna portio ex eo exſcindatur, & vulnus ſuppuratione aliquantum protracta ſanetur. *

* Non ſemper neceſſarium eſt, ut infima cyſtidis pars exſcindatur, hæc enim ſuppuratione conſumpta ſæpe vel ſua ſponte exit, vel per ipſam ſuppurationem conſumitur. Puero 6 annorum, atheromate magno palpebrali laboranti, facta inciſione cutis ob pueri nimiam agitationem, ſolummodo ſuperiorem portionem ſacci

SARCOMA PALPEBRARUM.

Eſt tumor carneus e palpebra excreſcens.

Species ſunt:

1. *Sarcoma pensile*, quod mediante pedunculo e palpebra pendet.

   Curatur ligatura pedunculi.

2. *Sarcoma sessile*, quod palpebræ lata baſi adhæret.

   Curatur ſola exciſione totius tumoris.

SCIRRHUS PALPEBRARUM.

Eſt tuberculum durum in ſuperiori utplurimum palpebra.

Species ſunt:

1. *Scirrhus benignus*, qui mobilis, cuti concolor & indolens eſt.

   Curatur interno uſu extracti cicutæ, *externe* emplaſtrum de cicuta cum pulvere belladonæ mixtum applicetur.

2. *Scirrhus malignus*, qui lancinans, & liveſcens eſt. Si cicuta nil juvat, ſola ex-

---

auferre potui, tumor tamen jam a biennio integre curatus manet. Idem mihi ſucceſſit in atheromate buccæ ſiniſtræ, quod ductui ſalivali inſidebat, qui prohibuit, ne inferiorem ſacci partem exſcinderem. Tumor tamen jam a decennio perfecte curatus manet, licet nec integrum ſaccum exciderim, nec vulneri cauſticum impoſuerim.

ciſio tumoris prodeſt, ne tumor in cancrum abeat.

CANCER PALPEBRARUM.

Eſt tuberculum vel ulcus malignum in palpebra utplurimum ſuperiori, quod acrimoniam cancroſam continet.

SPECIES teterrimi hujus morbi, utplurimum lathalis, ſunt:

1. *CANCER SCIRRHOSUS*, eſt tuberculum in palpebra durum, tuberoſum, lancinans, frequenter varicibus lividis circumdatum.

2. *CANCER VERRUCOSUS* eſt verruca lancinans, livida, varicoſa.

3. *CANCER NERVEUS*, oritur ex papula livido-rubente & lancinante, quæ lente, ut verruca cancroſa in ulcus late ſerpens, dolens, diverſicolor cum margine calloſo, lacero & retorto abit.

Curatio exigit medicamenta ſpecifica, ut cicutam, belladonam, flamumlam jovis, ſuccum ſedi acris, gentianam.

Si hiſce remediis malum non cedat, exſcindatur tumor, ſi nulla contraindicatio operationem inutilem declaret.

CARBUNCULUS PALPEBRARUM.

Eſt tuberculum inflammatorium in palpebra, quod intra paucos dies in gangrænam abit.

Hoc malum a *peculiari miaſmate* oritur.

Curatio exigit internum uſum corticis peruviani cum aceto camphorato.

Externe ſcarificato tumori unguentum de ſtyrace & camphora applicetur, ac deſuper fomentum ex aqua vegetominerali & cort. peruv. ponatur.

HORDEOLUM.

Eſt tuberculum inflammatorium, parvo furunculo ſimile, in margine palpebrarum. *

CAUSA PROXIMA eſt inflammntio glandulæ Meibomianæ.

CAUSÆ REMOTÆ ſunt ingeſta acria, ſpirituoſa, ** tranſpiratio ſuppreſſa, depoſitio acrimoniæ venereæ, ſcrophuloſæ.

PROGNOSIS. Eſt vitium infantibus familiare, raro reſolvitur, utplurimum abit in ſuppurationem, quandoque ſæpius in anno recurrit, & chalazion induratum relinquit.

Curatio. Incipiens hordeolum quandoque aqua vegetominerali & dato purgante reſolvi poteſt. Si vero reſolutio intra 24 horas non efficiatur, ſuppuratio eſt promovenda, hinc applicetur hordeolo fruſtillum emplaſtri diachilon ſimplicis & cataplaſma emolliens.

---

* Græcis vocatur *crithe*.

** Novi hominem, qui quotieſcunque ſpiritum vini bibit, hordeolo afficitur.

Hordeolum bene maturum intra digitos leniter comprimatur, ut pus exeat, remanens durities, eodem emplaſtro penitus auffertur.

Hordeolum ſæpius *recurrens* a ſaburra primarum viarum, ab acrimonia venerea vel ſcrophuloſa eſt. Hinc interne his cauſis contraria remedia præſcribantur.

CHALAZION.

Eſt tuberculum indolens, cuti concolor, mobile, in margine palpebrarum. *

Species chalazii ſunt:

1. *Chalazion scirrhosum*, quod tuberculum inæquale & durum eſt, utplurimum a male curato hordeolo oritur.

   Curatio. Reſolutio tentetur emplaſtro ſaponato, vel emplaſtro cicutæ compoſito, vel aqua vegeto minerali.

   Si reſolutio non obtineatur, tentetur *ſuppuratio* tumoris emplaſtro ſemiveſicatorio.

2. *Chalazion cancrosum*, eſt tuberculum tuberoſum, lancinans, liveſcens, oritur ab acrimonia cancroſa, tractetur ut *cancer* palpebrarum.

3. *Chalazion cysticum*, eſt tuberculum æquale, molle, indolens, cuti concolor.

   Curatio triplici modo fit:

---

* Latinis vocatur *grando*.

1. *Reſolutione*, hæc ſpiritu ſaponato vel oleo lavendulæ, vel emplaſtro ſaponato, aut cicutæ compoſito, aut unguento baſiliconis cum camphora, tentari poteſt.

2. *Eroſione* tumoris mediante particula minima lapidis cauſtici & dein continuato digeſtivo acri.

3. *Inciſione* tumoris horizontali. Aliquot dies promoveatur ſuppuratio inciſi ſacci, ſic ſaccus facillime eximi poteſt. *

4. CHALAZION TERREUM, eſt tuberculum duriſſimum, terram continens, ſola inciſione tumoris noſcendum & curandum. **

HYDATIS PALPEBRARUM.

Eſt veſicula aliquantum pellucida, aquam continens, margini palpebrarum, utplurimum ſolitaria, inſidens.

Causa proxima eſt elevatio epidermidis ab humore aquoſo.

Curatio exigit inciſionem veſiculæ & exſiccationem, quæ guttula aquæ vitriolatæ, vel extracti ſaturni fieri poteſt.

---

* *Cel.* Schmucker *chirurgiſche Wahrnehmungen* 1. *Th.* p. 568.

** Dicitur etiam *lithiaſis* ſeu *lapis palpebralis*.

MILIUM PALPEBRARUM.

Eſt minimum tuberculum albicans & durum, ſemini milii magnitudine æquale.

Causa proxima eſt materia atheromatoſa ſub epidermide collecta.

Curatio. Cuſpide lanceolæ incidatur epidermis, ſic molecula dura albicans exprimi poteſt.

MORUM PALPEBRARUM.

Eſt tuberculum rubrolividum, molle, ac indolens, quod morum refert, atque palpebræ, utplurimum ſuperiori, inſidet.

Hoc vitium ſemper a nativitate eſt. De *curatione* V. *nævos* in doctrina de *morbis cutaneis*.

VERRUCÆ PALPEBRARUM.

Sunt verrucæ palpebris vel earum marginibus inſidentes.

Huic malo præſertim vetulæ ſunt obnoxiæ. * Quandoque admodum magnæ evadunt & blepharoptoſim, atque in prædiſpoſitis cancrum palpebrarum faciunt.

Frequentiſſimæ Species ſunt:

1. *Verrucæ pensiles*, quæ pedunculum habent; auferuntur ligatura vel abſciſſione.
2. *Verrucæ sessiles*, quæ lata baſi cuti inſident.

---

* Heister *Inſtitut. Chirurgic.* P. I. p. 537.

Curantur variis remediis ſpecifice contra verrucas laudatis. V. *Doctrina de morbis cutaneis.*

3. *Verrucæ cancrosæ*, quæ dolentia, livida, varicoſa ſunt; de curatione V. *cancer palpebrarum.*

TRACHOMA.

Eſt aſperitas in interna palpebrarum ſuperficie. *

Effectus ſunt ingens ophthalmia & dolor immanis, quotiescunque palpebræ nictitant, ut de trichiaſi diximus.

Species ſunt:

1. *Trachoma sabulosum*, ut ab illapſo ſabulo, tempore ventoſo itinerantibus, in via ſabuloſa contingit. *Præcavetur* larva cum oculis vitreis.

Curatur elutione oculorum cum aqua vegetominerali.

2. *Trachoma carunculosum*, quod a carunculis, ſeu minimis verrucis carneis in interna palpebræ ſuperficie enatis, oritur.

Curatur carunculis forfice abſciſſis. **

---

* *Trachoma* derivatur a τραχύνω *aſpero.*

** Hæc ſpecies trachomatis vocatur etiam *morum palpebræ internæ*, quia interna palpebræ ſuperficies mori adinſtar tuberculoſa, & lividorubra evadit. Aliis hæ carunculæ *pladarotes* dicuntur.

3. *TRACHOMA HERPETICUM*, quod a puſtulis duris in interna palpebrarum ſuperficie enatis, excitatur. *

Curatur unguento cum mercurio præcipitato rubro. *Interne* ſublimatus corroſivus vel ſulphur auratum antimonii cum mercurio dulci & decoctum dulcamaræ detur.

BLEPHAROPTOSIS.

Eſt prolapſus palpebræ ſuperioris, adeo ut corneam tegat, & æger oculum penitus aperire dormientis adinſtar nequeat.

Effectus eſt vitium deforme, intuitui nocens & luſcitatem etiam ſanato morbo relinquens.

Species hujus morbi ſunt:

1. *BLEPHAROPTOSIS AB ATONIA* ſeu *RELAXATIONE MUSCULI LEVATORIS PALPEBRÆ SUPERIORIS*,** cauſæ ſunt chloroſis, omnis debilitas totius corporis, longa quies palpebrarum ab oculo diu deligato, cataplaſmata emollientia.

Curatur fomento ex aqua frigida. *Interne* detur cortex cum valeriana & marte.

---

* Hic affectus etiam *ſycoſis* ſeu *palpebra ficoſa* dicitur, quia interna palpebræ ſuperficies ficus diſciſſæ adinſtar granuloſa evadit.

** Vocatur etiam *ptoſis* ſeu *prolapſus palpebræ ſuperioris* & græcis quibusdam *Atoniatonblepharon*.

2. *BLEPHAROPTOSIS PARALITICA* ſeu *A PARALYSI MUSCULI LEVATORIS*. Utplurimum ſimul amauroſis adeſt, atque paralyſis genæ ejusdem lateris, linguæ & maxillæ, vel ſymptoma eſt apoplexiæ, paraplegiæ. Oritur quandoque a ſuppreſſione menſtruorum, hæmorrhoidum aut contuſione ſupercilii.

Curatio exigit antiparalytica & curationem morbi primarii: tentetur ergo *interne* arnica, *externe* aqua frigida, embroche, vinum roborans JANINI, electricitas applicetur. Fricetur ſupercilium liquore anodyno minerali & tinctura ſuccini aut oleo fœniculi.

3. *BLEPHAROPTOSIS SPASMODICA* ſeu *A CONTRACTIONE SPASMODICA MUSCULI ORBICULARIS PALPEBRARUM*. Hæc ſpecies ſubito aggreditur & remittit: eſt hypochondriacis, hyſtericis & verminoſis familiaris; etiam a ſola ſaburra ventriculi quandoque oritur.

Curatur purgante, & dein datis nervinis aut antiſpaſmodicis. V. *Spaſmus palpebrarum.*

4. *BLEPHAROPTOSIS A TUMORE PALPEBRAM SUO PONDERE DETRAHENTE*, atheroma, lipoma, ſcirrhus palpebræ ſuperiorioris huc refertur.

Curatio exigit exciſionem tumoris.

5. *BLEPHAROPTOSIS AB INTUMESCENTIA TOTIUS PALPEBRÆ SUPE-*

RIORIS. Inflammatio, oedema, emphyſema, ecchymoma palpebræ huc pertinet.

Curatio exigit purgantia & *externe* fomenta diſcutientia.

6. *BLEPHAROPTOSIS A PROLONGATIONE CUTIS PALPEBRALIS.* Hæc prolongatio quandoque vitium connatum eſt, quandoque vulnus transverſale palpebræ, male ſanatum, ſequitur. Sæpe autem cauſa ejus latet.

Diſtinguitur ab atonia muſculi levatoris, quod hic cute palpebræ in plicam digitis elevata, illico ſe contrahat, in atonia autem muſculus etiam elevata cute relaxatus maneat.

Curatio paliativa. Cutis palpebræ per emplaſtrum tenax ad frontem elevata firmetur.

Curatio radicalis exigit, ut cutis palpebræ in transverſalem elevetur plicam, hæc plica cultro transverſim abſcindatur, demum vulnus cutis emplaſtro adhæſivo bene uniatur, & ſic ſanetur. *

7. *BLEPHAROPTOSIS A VULNERE MUSCULI LEVATORIS PALPEBRÆ,* vel *FRONTALIS* transverſim diſſecto.

Curatur ſutura vulneris.

---

* *Inſtrumentum* BARTISCHIANUM pro hac operatione inventum a *Cel.* RUYSCHIO & HEISTERO emendatum non eſt neceſſarium, eſt incommodum & palpebras nimium contundit.

8. *Blepharoptosis periodica*, quæ certo tempore redit.

Curatur purgantibus, roborantibus, & cortice peruviano. *

LAGOPHTHALMUS.

Eſt impotentia palpebras penitus claudendi. **

Effectus. Cornea ab illabente pulvere exſiccatur & paullatim obſcura evadit.

Species hujus morbi ſunt:

1. *Lagophthalmus spasmodicus* ſeu a ſpaſmo muſculi levatoris palpebræ ſuperioris. Hæc ſpecies in hyſtericis, hypochondriacis, verminoſis, morbis convulſivis, & quandoque in febribus acutis obſervatur.

   Curatio exigit antiſpaſmodica & curationem morbi primarii, *externe* cataplaſma emolliens ac anodynum convenit.

2. *Lagophthalmus paralyticus* ſeu a paralyſi muſculi orbicularis palpebrarum, qui antagoniſta muſculi levatoris eſt, hinc levator perpetuo ſe contrahit.

   Curatur antiparalyticis, arnica.

---

* *Cel.* Cautvel blepharoptoſim qualibet nocte cum epiphora mucoſa recurrentem refert, quam aquæ bellilucanæ, nuchæ affuſæ, ſanarunt. *Philoſ. Transact.* 1738. n. 449.

** A λαγὼς lepus & ὀφθαλμὸς oculus, hinc latinis *oculus leporinus* vocatur, quia lepores apertis oculis dormire creduntur.

3. *Lagophthalmus ab atonia musculi orbicularis palpebrarum.* Hæc ſpecies in ſenibus & hominibus jejunio, vigiliis, morbo, inanitione valde debilitatis, obſervatur.

Curatio interna exigit roborantia & nutrientia. *Externe* ut in lagophthalmo paralytico oleum fœniculi, balneum oculi frigidum, vinum roborans convenit.

4. *Lagophthalmus a fissura palpebræ longitudinali,* qua muſculus orbicularis diviſus eſt. Hæc diviſio vel a vulnere, vel a colobomate originem habet, exigit *curationem* fiſſuræ. V. *vulnera palpebrarum* & *coloboma.*

5. *Lagophthalmus ab exophthalmia,* quæ palpebras diducit. Huc etiam referri poteſt *magna encanthis.*

Curatio exigit ablationem morbi primarii.

6. *Lagophthalmus a tumore inter orbitam & musculum levatorem palpebræ.* Talis tumor ſua preſſione muſculum irritat, & abbreviat. Noſcitur tactu, & *curatio* exigit exciſionem.

7. *Lagophthalmus a contractilitate musculi levatoris palpebræ.* Sic infantes, in cunis cum vertice verſus feneſtras locati, ex mala conſuetudine ſurſum, ut lucem videant, intuen-

di, adeo muſculum levatorem contractilitate afficiunt, ut lagophthalmi evadant.

Curatio exigit, ut verſus lucem locentur, & ut emplaſtris tenacibus palpebra ſuperior verſus genam agglutinata, per aliquot ſeptimanas deorſum trahatur.

8. *LAGOPHTHALMUS A CICATRICE*, quam vulnus, ulcus vel ambuſtio in palpebris, gena vel fronte relinquit, & quæ cutem palpebræ valde contrahit. Si emollientia & emplaſtra detrahentia ad curationem non ſufficiant, inſtituatur mox dicenda operatio.

9. *LAGOPHTHALMUS A NATIVA BREVITATE CUTIS PALPEBRARUM.* Sedes brevitatis ſemper in ſola cute, nunquam in muſculo levatore eſſe ſolet.

Curatio exigit, ut cutis elongetur; ſi hæc *elongatio* per cataplaſmata & unguenta emollientia, atque ſimul applicatis emplaſtris tenacibus, ut mox diximus, genæ & palpebræ ſuperiori abbreviatæ affixis, non poſſibilis eſt, tunc *operatio* inſtitui debet.

Fiat nempe inciſio transverſalis per totam palpebram ſuperiorem, & quidem in loco ubi palpebra plicam transverſalem format.

2. Dein labium vulneris ſuperius per emplaſtrum tenax ad frontem, labium autem vulneris inferius per aliud emplaſtrum ad genas, quantum fieri poteſt, detrahatur & agglutinetur.

3. Si prolongatio cutis nondum ſufficiat ſtatim ſecundum infligatur vulnus transverſale in palpebra, & etiam emplaſtro deorſum glutinetur ad genam.

4. Sic vulnus cum lata cicatrice conſolidetur.

10. *LAGOPHTHALMUS PARTIALIS.* Quandoque cutis palpebræ non in tota palpebra, ſed ſolummodo in externa vel interna palpebræ commiſſura nimis brevis eſt. Id etiam vel a vitio connato, vel a cicatrice oritur. In hac ſpecie *inciſio transverſalis* non in tota palpebra, ſed in ſolo loco abbreviato inſtituitur.

ECTROPIUM.

Eſt palpebræ utplurimum inferioris extraverſio, qua interna harum ſuperficies adeo extrorſum agitur, ut hæc ſub forma carnis rubræ in conſpectum prodeat. *

Vitium hoc utplurimum in inferiori palpebra, rariſſime in ſuperiori deprehenditur, & rariſſime utrumque oculum afficit.

Effectus ectropii ſunt fæda deformitas, ac ſi caro rubra ex oculo promineret, perpetua lacrumatio, bulbi ſordities & non raro inflammatio, demum calloſa degeneratio carnis rubræ.

---

* Derivatur ab ἐκτρέπω *everto.* Gallis dicitur *Renverſement.* V. KECK diſſ. de ectropio in *Collect. Halleriana* T. I.

Causa proxima eſt nimia cutis, palpebram formantis, brevitas.

Species ectropii ſunt:

1. *Ectropium ab intumescentia membranæ internæ palpebralis*, quæ in ſcrophuloſis, venereis, catarrhoſis, & ophthalmia humida diu laborantibus obſervatur.

Curatur medicamentis internis ſpecificis, prout varia eſt acrimonia.

Externe 1. applicentur *adſtringentia*: ut aqua frigida, vel vitriolata, vel aluminoſa.

2. *Cauſtica*: ut ſolutio lapidis infernalis vel butyrum antimonii, quo ope penicilli tumor illini debet.

3. *Scarificetur* intumeſcentia & altero die applicetur unguentum ophthalmicum cum præcipitato rubro, ut intumeſcentia per ſuppurationem conſumatur.

4. Si hæc medicamenta nil juvent, tunc optimum eſt, ut membrana tumida volſella in plicam transverſalem elevetur, & cultello transverſim exſcindatur.

Facta operatione linteolum liquore vegetominerali madidum intra palpebram & bulbum oculi ponatur, ne hæ partes concreſcant. Palpebræ autem linteolum & faſcia per aliquot dies applicetur.

2. *ECTROPIUM A CICATRICE* vel in *PALPEBRA INFERIORI* vel in *GENA.* Hinc vulnera, ulcera, & ambuſtionem harum partium ſequitur. Si malum leve eſt, emolliatur unguento de althea cutis palpebræ & ope emplaſtri diachilon ad oculum apprimatur, ſi vero hæc methodus non ſuccedit, fiat exciſio membranæ internæ.

3. *ECTRORIUM A NATIVA BREVITATE CUTIS EXTERNAM SUPERFICIEM PALPEBRÆ FORMANTIS.* In hac ſpecie membrana interna palpebræ nimis longa eſt & tumida. Hinc ſi per adſtringentia contrahi nequeat, optimum eſt, ut pars hujus membranæ transverſim exſcindatur.

Inciſio cutis externæ & vulneris diductio ope emplaſtrorum adhæſivorum fere ſemper incaſſum tentatur. *

4. *ECTROPIUM A VULNERE* vel *ULCERE COMMISSURÆ INTERNÆ PALPEBRARUM.* Sub actione muſculi orbicularis dilatatur vulnus & interna membrana evertitur, hæc ſpecies *ectropium partiale* dici poteſt. Idem etiam obſervatur, ſi *coloboma* vel *fiſſura* in medietate palpebræ inferioris eſt.

Curatio hujus ſpeciei exigit curationem vulneris, ulceris vel colobomatis, quos morbos vide in ſuis locis.

---

* *Mémoires de l' Acad. de Chirurgie de Paris T. V.*

5. *ECTROPIUM AB ATONIA MUSCULI ORBICULARIS PALPEBRARUM.* Quod vitium ſæpe in ſenibus, vetulis & ophthalmia humida diu laborantibus obſervatur.

Curatur roborantibus internis: ut cortice & valeriana, *externe* aqua frigida & alia roborantia adhibeantur. At in *ſenibus* curatio vix poſſibilis eſt.

6. *ECTROPIUM A SARCOMATE IN INTERNA SUPERFICIE PALPEBRÆ,* quod ſæpe ex ulceribus hujus internæ membranæ excreſcit.

Curatio exigit exciſionem ſarcomatis & exſiccationem ulceris.

7. *ECTROPIUM AB ATHEROMATE IN PALPEBRÆ SUPERFICIE INTERNA,* quod tactu noſcitur.

Curatio exigit exciſionem tumoris.

8. *ECTROPIUM AB EXOPHTHALMIA,* vel *ENCANTHIDE*, quæ palpebram inferiorem extrorſum & deorſum premit.

Curatur ablatione morbi primarii.

9. *ECTROPIUM SIMULATUM*, vidi puerum, qui digitis omnes quartuor palpebras ſibi invertebat.

ENTROPIUM.

Eſt palpebræ introverſio, qua tarſi palpebrarum cum ciliis verſus oculi bulbum introvertuntur.

Effectus hujus mali ſunt deformitas, trichiaſis atque peſſima ophthalmia. V. *Trichiaſis.*

Species ſunt:

1. *Entropium a contractione membranæ internæ palpebrarum*, qua hæc nimis brevis evadit & tarſum invertit.

   Curatio exigit, ut cilia evellantur & ophthalmia ſopiatur, dein externa cutis palpebræ transverſim diſſecetur, vel portio quædam cutis transverſim exſcindatur; ac vulnus per emplaſtrum illico uniatur & ſanetur. *

2. *Entropium a cicatrice* membranæ internæ palpebrarum, quæ ulcera curata ſequitur.

   Curatur priori methodo.

3. *Entropium a tumore palpebrali*, qui tarſum cum ciliis introrſum premit.

   Curatio exigit exſtirpationem tumoris.

PSOROPHTHALMIA.

Eſt ſcabies palpebras, earumque margines obſidens.

Causa proxima eſt depoſitio acrimoniæ variæ ad glandulas palpebrarum.

---

* *Cel.* Acrel plura entropia ſic ſanavit. V. ejus *Bemerkungen.*

Species pſorophthalmiæ ſunt:

1. *Psorophthalmia crustosa*, quæ cruſtas ſiccas vel humidas in marginibus palpebrarum format.

   Curatur lacte camphorato forma fomenti oculo applicato. *Interne* dentur purgantia & purificantia.

2. *Psorophthalmia herpetica*, quæ papulas parvas admodum prurientes & in ſquammas abeuntes exhibet.

   Curatur aqua vegetominerali camphorata, ſulphurea, mercuriali. *

RUBOR MARGINUM PALPEBRALIUM.

Eſt rubor & intumeſcentia marginum palpebralium.

Causa proxima eſt inflammatio chronica perichondrii, quod tarſos palpebrarum inveſtit.

Species ſunt:

1. *Rubor acrimoniosus.* Omnes fere acrimoniæ, præſertim cancroſa, ** ruborem marginum palpebralium inducunt.

---

* Janin *Abhandl. und Beobachtungen über das Auge.* S. 393.

** *Cel.* Schmuker amputationem mammæ vel alius partis cancroſæ, ſi margines palpebrarum jam conſtanter rubeant, merito diſuadet, rubor enim marginum palpebralium indicat virus cancroſum per univerſum corpus jam diſperſum, adeoque amputatione

Curatio exigit interna remedia ſpecifica. *Externe*, aqua vegetomineralis, vel aqua frigida applicetur.

2. *Rubor a lippitudine.* In hac ſpecie limbus palpebrarum valde tumidus eſt, ac muco puriformi oblinitus. V. *Lippitudo.*

3. *Rubor symptomaticus*, qui hordeolum, blepharophthalmiam & alios morbos palpebrarum comitatur.

Curatio exigit ablationem morbi primarii.

4. *Rubor senilis*, qui ab atonia palpebrarum oritur. Eſt incurabilis, ſi aqua frigida non curetur.

TYLOSIS.

Eſt marginum palpebralium calloſa vel indurata craſſities.

Causa proxima eſt infarctus ab humore ſpiſſo & glutinoſo in glandulis & cellulis marginum palpebralium ſtagnante.

Species ſunt:

1. *Tylosis callosa*, quæ a ſicco, inſpiſſato margine palpebrali provenit.

Curatur cataplaſmate ex lacte, foliis cicutæ, camphora & ſemine lini. *Interne* detur extractum cicutæ, & camphora cum mercurio dulci.

---

incurabilem eſſe morbum. V. Schmuker *chirurgiſche Wahrnehmungen.* T. 2.

2. *Tylosis indurata*, quæ a glandulis meibomianis in toto fere limbo induratis, oritur. Hoc vitium quandoque in ſcrophuloſis & venereis deprehenditur.

Curatur balſamo ophthalmico mercuriali.

VULNERA PALPEBRARUM.

Sunt ſolutiones cruentæ palpebrarum.

Species eſſe poſſunt:

1. *Vulnus non penetrans*, quo ſolummodo cutis palpebræ transverſim, vel longitudinaliter dividitur.

   Curatio exigit, ut tale vulnus ſine ſuppuratione excitata emplaſtro anglicano uniatur, ne palpebra per ſuppurationem longior vel brevior fiat, & blepharoptoſim aut lagophthalmum relinquat.

2. *Vulnus penetrans longitudinale*, quo tota palpebræ craſſities dividitur. Emplaſtro anglicano unitum vulnus, ſubinde ad tarſum usque ſolummodo concreſcit. * V. *Coloboma.*

3. *Vulnus abscindens palpebram.* Tale vulnus corneam & totum bulbum obſcurationi exponit & viſum tollit.

4. *Vulnus commissuræ internæ palpebrarum*, ectropium palpebræ facit, curatur emplaſtro uniente.

* Cartilago diſſecta neque augetur, neque coaleſcit, dicit Hippocrates.

FISTULA PALPEBRARUM.

Eſt ulcus anguſtum & ſinuoſum in palpebra.

Species ſunt:

1. *Fistula palpebrarum simplex*, quæ in palpebræ ſubſtantiam penetrat.

   Curatur ut fiſtula in alio loco.

2. *Fistula palpebrarum in saccum lacrumalem penetrans*, quæ a ſacci lacrumalis intumeſcentia purulenta & ruptura in palpebræ inferioris quodam loco oritur.

   Curatio radicalis exigit, ut ſacci lacrumalis intumeſcentia aperiatur, & ejus morbus curetur. Sic fiſtula palpebræ ſua ſponte ſanatur.

COLOBOMA.

Eſt hiatus ſiccus in margine palpebrali, qui labium leporinum refert.

Hoc vitium deformitatem inducit, ac ſpeciem ectropii partialis. Oritur vel a *mala formatione* vel a *vulnere* marginis palpebralis.

Curatio. Suadent authores abſciſſionem marginis calloſi, qui hiatum format, & unionem vulneris per acum & filum.

NICTITATIO.

Eſt invita palpebrarum ſeſe jam claudentium, jam aperientium motitatio.

Causa proxima eſt vera convulſio palpebrarum.

Species ſunt:

1. *Nictitatio connata*, & quæ a *mala consuetudine* eſt.

   Curatur meliore conſuetudine inducta, & oculis alternatim deligatis.

2. *Nictitatio ab heterogeneo in oculum illapso.*

   Curatur exempto corpore alieno.

3. *Nictitatio a saburra*, vel *vermibus primarum viarum*, purgantibus & anthelminticis curatur.

4. *Nictitatio symptomatica*, quæ alius morbi convulſivi ſymptoma eſt, exigit curationem morbi primarii.

5. *Nictitatio a timore*, hæc ſpecies ſub operatione cataractæ maxime animadvertitur, & operatori valde incommoda eſt.

   Curatur perſuaſione & mora.

SPASMUS PALPEBRARUM.

Eſt palpebrarum invita & permanens contractio.

Noscitur oculi rigida clauſura, quæ digitis vix aperiri poteſt.

Species ſunt:

1. *Spasmus a saburra primarum viarum.* Quæ purgantibus vel anthelminticis curatur.

2. *Spasmus ab illapso heterogeneo in oculum.*

   Curatur exemptione corporis illapſi.

3. *Spasmus symptomaticus*, qui ab alio morbo provenit.

Curatur antiſpaſmodicis & curato morbo primario.

4. *Spasmus ab ophthalmia*; quibus oculi ſunt inflammati ob lucis metum adeo arcte palpebras contrahunt, ut vix digitis diduci poſſint.

Curatio exigit ablationem ophthalmiæ.

5. *Spasmus sub operatione cataractæ*, turbat ſæpe operationem præſertim extractionem. Obſervatur in timidis & ſubjectis irritabilibus. Exigit, ut ante operationem oleum cum opio detur.

PRURITUS PALPEBRARUM.

Eſt ſenſatio, quæ hominem ad fricandas palpebras cogit.

Sedes utplurimum verſus internam palpebrarum commiſſuram eſt.

Species ſunt:

1. *Pruritus a transpiratione suppressa*, qui matutino tempore in catarrhoſis & rheumaticis obſervatur.

2. *Pruritus ab incipiente hordeolo.*

Curatur aqua vegetominerali.

3. *PRURITUS AB INGESTIS ACRIBUS*, qui altero primum die præſertim in *ebrioſis* obſervari ſolet.

Curatur purgantibus.

4. *PRURITUS AB HERPETE PALPEBRARUM*, exigit curationem herpetis. V. *Pſorophthalmia.*

MORBI VIARUM LACRUMALIUM.

SCHEROMA.

Eſt oculi ſiccitas ob humoris lacrumalis penuriam.

EFFECTUS. Deficientibus lacrumis oculi fiunt aridi, pulverulenti, obſcurati, ſordidi, quod ſiniſtrum in morbis acutis omen eſt.

SPECIES ſunt:

1. *SCHEROMA FEBRILE*, ſeu ſiccitas oculorum, quæ in febribus, cum phlogiſtica humorum denſitate complicatis, obſervatur.

Curatur humectantibus externis & internis diluentibus antiphlogiſticis.

2. *SCHEROMA EXHAUSTORUM*, quod poſt magnas evacuationes & in *moribundis* contingit.

Curatio in exhauſtis exigit nutrientia.

3. *SCHEROMA INFLAMMATORIUM*, quod ophthalmiæ ſiccæ ſymptoma eſt. Exigit *curationem* ophthalmiæ.

4. *SCHEROMA ITINERANTIUM*, ſeu oculorum ſiccitas, quæ in itineribus per loca ſabuloſa, ardente ſyrio aut vento calido, qui omne humidum abſorbet, inſtitutis, conſueta eſt.

Curatur elutione & humectatione. *Collyrium* ex ſeminibus cydoniorum, *decoctum malvæ*, *lac* tepidum hic convenit.

EPIPHORA.

Eſt humoris ſeroſi vel aquoſi profluvium ex oculis.

ORIGO hujus humoris non ſolum glandula lacrumalis eſt, ſed etiam pori corneæ & conjunctivæ, nec non interna palpebræ utriusque ſuperficies, glandulæ Meibomianæ, atque carunculæ lacrumales ad hanc ſecretionem contribuunt. *

CAUSA PROXIMA epiphoræ eſt, vel *aucta ſecretio* humorum lacrumalium, vel *impedita abſorptio* horum humorum.

SPECIES ab *aucta ſecretione* ſunt:

1. *EPIPHORA A STIMULO IN OCULO HÆRENTE*, ut ab illapſa arenula, fumo acri, vapore vel odore acri, a trichiaſi.

Curatio exigit, ut corpus heterogeneum auferatur.

---

* JANIN l. c. pag. 49.

2. *EPI-*

2. *EPIPHORA INFLAMMATORIA*, quæ ſymptoma ophthalmiæ humidæ eſt.

Curatur ablata inflammatione.

3. *EPIPHORA ACRIMONIOSA*, quæ a depoſitione acrimoniæ rheumaticæ, arthriticæ, podagricæ, varioloſæ, morbilloſæ, venereæ, vel a tranſpiratione ſuppreſſa oritur. Videntur hæ acrimoniæ organa ſecretoria lacrumarum ad majorem ſecretionem irritare. Tarſi & genæ a lacrumis excoriantur.

Curatio exigit 1. derivationem acrimoniæ ad alia loca, quod purgantibus, diureticis, diaphoreticis, ac præcipue fonticulis, veſicatoriis, ſetaceo peragitur. 2. *Interne* dentur antacrimonioſa, & *externe* aqua vegetomineralis, lac crocatum, vel mucilago ſeminum cydoniorum aut amyli.

4. *EPIPHORA A LAXITATE PORORUM* corneæ, conjunctivæ & glandulæ lacrumalis. Hæc ſpecies *noſcitur* ex humiditate corneæ atque omnis doloris & ruboris abſentia.

Curatur interno uſu corticis peruviani cum valeriana. *Externe* aqua frigidiſſima, collyrium vitriolatum & camphoratum, nec non ſpirituoſum conducit.

SPECIES epiphoræ ab *impedita* lacrumarum *abſorptione* ſeu a viis lacrumalibus imperviis, ſunt:

1. *EPIPHORA A PUNCTIS* vel *CANALIBUS LACRUMALIBUS CONCRETIS.* Id a combuſtione, vel exulceratione

prægreſſa oritur & inſpectione vel exploratione punctorum lacrumalium noſcitur.

Curatio exigit, ut orificia concreta ope acuti ſtili ocularis, in orificium externum immiſſi, perforentur. Vel ut ſaccus lacrumalis inciſione aperiatur, & canalis atque punctum lacrumale e cavo ſacci aperti extrorſum ope ſtyli aperiantur.

2. *Epiphora a ductu nasali obstructo.* Hæc ſpecies hydropem lacrumalem habet comitem & exigit reſerationem ductus naſalis obſtructi. V. *Hydrops lacrumalis.*

3. *Epiphora a polypo nasali*, orificium internum ductus naſalis comprimente.

Curatur polypi naſalis extractione. *

4. *Epiphora a sacco lacrumali per anchylopem* vel *per tophum fossæ lacrumalis compresso.*

Curatur ablato tumore comprimente. V. *Anchylops.*

5. *Epiphora ex rhyade* ſeu defectu carunculæ lacrumalis eſt incurabilis.

6. *Epiphora a vitio palpebrarum*, quod puncta lacrumalia a lacu lacrumali removet, ut encanthis, ectropium, entropium, lagophthalmus, intumeſcentia mar-

* Vidit *Cel.* Janin radicem polypi naſalis e ſacco lacrumali ortam. l. c.

ginis palpebralis. Hæc ſpecies *curatur* ablatis his morbis.

7. *EPIPHORA A PARALYSI PUNCTORUM LACRUMALIUM.* Nam hæc puncta vi muſculari lacrumas e lacu lacrumali ſugere videntur.

Curatio exigit roborantia antiparalytica.

8. *EPIPHORA A PUNCTIS LACRUMALIBUS EROSIS.* Si fibræ muſculares horum orificiorum eroſæ ſunt, vis ſugens illorum perit.

Curatio exigit ſanationem eroſorum punctorum.

LIPPITUDO.

Eſt exſudatio humoris puriformis e marginibus palpebrarum.

Causa proxima eſt depoſitio acrimoniæ ad glandulas Meibomianas tarſorum palpebralium.

Effectus. Hoc humore noctu tarſi palpebrarum invicem conglutinantur, margines palpebrarum rubent & intumeſcunt. Perſæpe ophthalmia, fiſtula lacrumalis & non raro ectropium exinde oriuntur.

Species lippitudinum ſunt:

1. *LIPPITUDO INFANTUM*, quæ infantibus valde eſt familiaris, præſertim ab achoribus aut a ſcabie capitis ſuppreſſa.

2. *LIPPITUDO ADULTORUM & SENILIS.* Lippitudo infantum ſucceſſu temporis ſponte evaneſcit, at pertinaciſſima eſt, quæ

adultos afficit, & plane immedicabilis fere obſervatur in ſenectute & in potatoribus.

Curatio exigit repetita purgantia, veſicatoria, ſetacea aut fonticulos. *Externe* ſolutio *lapidis divini*, aut unguentum ophthalmicum cum *mercurio præcipitato rubro* mirum præſtat effectum. *

3. *LIPPITUDO VENEREA*, quæ ex ſuppreſſa gonorrhæa vel fluore albo, atque in infantibus, a venereis parentibus genitis, obſervatur.

Curatio exigit præter externum uſum unguenti ophthalmici mox laudati internum uſum mercurii gummoſi.

4. *LIPPITUDO SCROPHULOSA*, quæ ſcrophuloſos aggreditur.

Curatur interno uſu corticis peruviani cum cicuta, æthiope minerali, antimonio. Valida evacuantia ſcrophuloſis nocent.

5. *LIPPITUDO SCORBUTICA*, quæ ſcorbuticos afficit.

Curatio exigit interna antiſcorbutica; *externe* ſolutio lapidis divini, vel ſacchari ſaturni prodeſt.

HYDROPS LACRUMALIS.

Eſt intumeſcentia ſacci lacrumalis, qui preſſus digito lacrumas puras, vel quandoque ſtriis albis mix

---

* THEDEN *neue Bemerkungen*. p. 192.

tas per puncta lacrumalia vel per ductum naſalem, vel per vias utraſque eructat.

CAUSA PROXIMA eſt vel *laxitas* ſacci lacrumalis, vel *obſtructio* ductus naſalis.

1. *HYDROPS LACRUMALIS A LAXITATE SACCI LACRUMALIS.* Noſcitur hæc ſpecies, quod collectæ lacrumæ per ductum naſalem facile exprimi poſſint.

Curatur injectione collyrii roborantis ex vitriolo & ſpiritu vini camphorato, applicata aqua frigidiſſima, atque applicatis ſpleniolis graduatis, quæ ſaccum lacrumalem comprimunt.

2. *HYDROPS LACRUMALIS AB OBSTRUCTIONE DUCTUS NASALIS*: Hæc obſtructio eſt multiplex, variamque exigit amotionem.

1. *Obſtructio mucoſa* exigit collyrium detergens, quod interno oculi cantho aliquoties de die inſtillari, vel ope ſyphonis Anelliani in punctum lacrumale inferius injici debet. Infuſum *veronicæ*, ſolutio *boracis*, aqua *ſelterana*, ſolutio *ſalis ammoniaci*, vel *vitrioli* pro hoc ſcopo laudantur,

2. *Obſtructio a contractione ſphincteris ductus naſalis.* Noſcitur quod lacrumæ adhibita vi in nares exprimi poſſint.

Curatio quandoque ſuccedit injectione emolliente, & applicato cataplaſmate emolliente.

3. *Obſtructio a corrugatione ductus naſalis.* Non poteſt ſine ſacci lacrumalis inciſione cognoſci.

Curatio exigit, ut injectiones emollientes ab initio tententur, ſi vero hæ obſtructionem non tollant, fiat *inciſio* ſacci lacrumalis, atque immittantur ductui naſali per aliquot ſeptimanas *chordæ præparatæ*, vel tenuiſſimæ *candelulæ Goulardianæ*, vel *ſtili plumbei.* Aperto ductu naſali conſolidetur vulnus externum.

4. *Obſtructio a polypo naſali* curatur ablato polypo.

ANCHYLOPS.

Eſt tumor in interno oculi cantho, qui ſedem extra ſaccum lacrumalem habet.

Species anchylopum ſunt:

1. *ANCHYLOPS INFLAMMATORIA*, quæ rubore & calore canthi interni noſcitur.

Curatio exigit fomentum ex aqua vegetominerali, & purgantia.

2. *ANCHYLOPS SUPPURATORIA*, quæ abſceſſum in cantho interno format. Oritur ex prægreſſa inflammatione, vel metaſtaſi purulenta.

Curatio exigit, ut tumor emplaſtro diachylon & cataplaſmate emolliente emolliatur, atque dein aperiatur.

3. *Anchylops scirrhosa*, eſt tuberculum durum in interno oculi cantho, quod non raro in carcinoma abit.

Curatio exigit cicutam.

4. *Anchylops cystica*, eſt atheroma in interno oculi cantho, ſeu tumor indolens, cuti concolor, glaber, mobilis.

Curatio exigit, ut ſpiritu ſaponato reſolvatur, vel ſi reſolutio impoſſibilis, ut cultro auffeeratur.

5. *Anchylops serosa*, eſt tumor ſerum continens in interno oculi cantho. Si reſolvi nequeat, incidatur.

6. *Anchylops tophosa*, ſeu *exostotica*, eſt tophus in interno oculi cantho, cujus cauſa fere ſemper venerea eſt.

Curatio. Interne detur mercurius cum decocto radicis mezerei, *externe* emplaſtrum vel unguentum mercuriale, vel ſolutio mercurialis applicetur.

7. *Anchylops lacrumalis* eſt intumeſcentia ſacci lacrumalis a lacrumis in eo retentis. V. *Hydrops lacrumalis.*

8. *Anchylops a fistula lacrumali*, eſt intumeſcentia ſacci lacrumalis a muco puriformi in eodem congeſto. V. *Fiſtula lacrumalis.*

ÆGYLOPS.

Eſt ulcus in cantho interno oculi, quod ſedem extra ſaccum lacrumalem habet.

Causæ ægylops ſunt canthi interni contuſio, vulnus, inflammatio, depoſitio acrimoniæ, præſertim varioloſæ, fiſtula lacrumalis.

Species ægylopum ſunt:

1. *Ægylops simplex*, eſt ulcus purum in oculi cantho interno, ſaccum lacrumalem non afficiens.

Curatur aqua vulneraria.

2. *Ægylops cancrosa*, a prægreſſa anchylope ſcirrhoſa oritur. *Tractari* debet ut cancer.

3. *Ægylops venerea*, eſt ulcus venereum in interno oculi cantho.

Curatur externo uſu balſami mercurialis, & *interne* datis mercurialibus.

4. *Ægylops cariosa*, eſt ulcus carioſum in interno oculi cantho. Quandoque cum, quandoque ſine fiſtula lacrumali eſt.

Curatio exigit externa & interna anticarioſa.

5. *Ægylops a fistula lacrumali*, eſt ulcus in interno oculi cantho a ruptura vel inciſione ſacci lacrumalis ortum. V. *Fiſtula lacrumalis.*

FISTULA LACRUMALIS.

Eſt effluxus humoris puriformis ex punctis lacrumalibus. *

Noscitur ex levi tumore canthi interni, qui preſſus mucum puriformem, vel per puncta lacrumalia, vel per ductum naſalem, vel per vias utrasque evomit.

Causa proxima eſt muci puriformis excretio ex glandulis ſacci lacrumalis ſine ulceris in ſacco præſentia. Adeſt rariſſime ulcus, & ſi adeſt, tunc effectus & non cauſa hujus effluxus puriformis eſt. **

---

* *Ill.* Richteri *obſervationum chirurgicarum faſciculus* III. p. 18.

** Multoties obſervatur muci puriformis effluxus e variis partibus ſine ulceris præſentia. In gonorrhæa & fluore albo, quandoque altero ſtatim ab infectione die, mucus effluit puri ſimilis, antequam inflammatio præſens ulcus facere potuiſſet. In corryza e naribus ſine ulcere profluit ſæpe mucus puriformis. In hæmorrhoidum fluxu albo idem contingit. In calculoſis ingens ſæpe puriformis muci copia cum urina egeritur. In phthyſi ſpuria ingens muci puriformis copia quotidie ejiciebatur, cum tamen poſt mortem, nec in veſica calculoſorum, nec in pulmonibus phthyſi ſpuria mortuorum, ulcus fuerit inventum. V. Pott *Obſervations one the fiſtula lachrymalis. Lond.* 1763. & Potts *Abhandlungen über verſchiedene Gegenſtände der Wundarzneykunſt. Dresden* 1771.

Causæ remotæ ſunt depoſitio acrimoniæ qualiscunque in glandulas ſacci lacrumalis, ut in varioloſis, morbilloſis, ſcrophuloſis & venereis obſervatur, inflammatio ſæpius rediens hujus ſacci, ſtagnatio lacrumarum in ſacco ob ductum naſalem obſtructum, contuſio ſacci lacrumalis.

Dividitur fiſtula lacrumalis in ſimplicem & complicatam.

Species *fiſtularum lacrumalium* ſunt:

1. *Fistula lacrumalis simplex*, in qua obſtructio ductus naſalis non adeſt, quod noſcitur, ſi mucus puriformis tum per puncta lacrumalia, tum per ductum naſalem exprimi poteſt.

Curatio exigit *collyrium detergens*, cantho oculi interno aliquoties de die inſtillandum. Infuſum *veronicæ*, ſolutio *lapidis divini*, *boracis* cum ſaccharo, *lapidis infernalis* ſolutio diluta, aqua *vitriolata*, *camphorata*, ſolutio *ſalis ſedlizenſis* in hunc ſcopum laudantur. Hi liquores per puncta lacrumalia abſorbentur. *

* *Inſtillatio* ſequenti methodo peragi debet. 1. Æger locetur ſupinus, dein calami ſuperius & inferius transverſim abſciſſi apertura ſuperior digito tegatur, inferior apertura immergatur in collyrium, ſic quædam guttulæ cavum calami intrant. Jam hæc apertura oculi cantho applicetur, ſic liquidum, digito a ſuperiori apertura ablato per aerem in tubum irruentem exſtil-

2. Vel hi liquores ope *ſyphonis* ANELLIANI per punctum lacrumale inferius in ſaccum lacrumalem *injici* poſſunt.

Injectio ſequenti modo peragatur. *

1. Digito manus ſiniſtræ palpebra inferior extrorſum, & verſus canthum externum trahitur.
2. *Syphonis* apex manu dextra in linea vix obliqua, ſeu fere perpendiculari orificio lacrumali inferiori immittatur, dein ſine vi adhibita in linea obliquá ſponte quaſi ſua imergatur ulterius canula ſyphonis in ſaccum lacrumalem.
3. Tandem ſypho comprimatur. Quantitas liquidi injecti non ſit nimis magna, ne ſaccus lacrumalis nimium extendatur.
4. Injectio poſt aliquot horas iterum exprimatur & ſic aliquoties de die repetatur.

At injectio *vix plus* quam inſtillatio, ut pluries obſervavi, præſtat, imo in fiſtula lacrumali inflammata irritando injectio nocet.

2. *FISTULA LACRUMALIS COMPLICATA CUM INFLAMMATIONE SACCI LACRUMALIS.* Noſcitur ex effluxu

---

lat in oculum. Clauſis palpebris liquidum in oculo digitis aliquantum agitetur, ut e lacu lacrumali in orificia punctorum lacrumalium abſorbeatur.

* D. ANEL *nouvelle méthode de guérir les fiſtules lacrimales. Turin.* 1713.

muci puriformis & præſentia ruboris, caloris, atque doloris in cantho oculi interno & ſacco lacrumali. Hæc inflammatio quandoque ter vel quarter in anno afficit, & facile antiphlogiſticis remediis intra aliquot dies curatur. At quandoque malum hoc omni menſe, imo qualibet ſeptimana vias lacrumales aggreditur & pertinacius remediis antiphlogiſticis reſiſtit.

Curatio ergo exigit:

1. Ut fomenta & collyria ex aqua vegetominerali applicentur. *Injectio* in puncta lacrumalia durante ſtadio inflammatorio nimis irritat.
2. Fiat *venæſectio*, dentur *purgantia*, & dein antiphlogiſtica,
3. Adhibeantur *revellentia*, ut ſetaceum, vel veſicatoria ad nucham, hyrudines ad tempora.
4 *Purificantia* ſanguinem.

3. *Fistula lacrumalis complicata cum obstructione ductus nasalis.* Hæc noſcitur, quando mucus puriformis ex ſacco non in nares exprimi poteſt.

Curatio exigit amotionem obſtructionis. Si hæc ſolum *glutinoſa* eſt, amovetur injectione detergente, ſi vero obſtructio *ſolida* eſt, ut contractio chronica ſphincteris vel ductus naſalis corrugatio tunc operatione ſequenti opus eſt.

Operatio fiſtulæ lacrumalis.

Indicatio. Fiſtulæ lacrumalis cum obſtructione ductus naſalis complicatæ curatio exigit.

1. *Inciſionem* ſacci lacrumalis.
2. *Dilatationem* ductus naſalis.
3. *Exſiccationem* ductus naſalis a dilatatione ſuppurantis.
4. *Sanationem* ulceris externi ab inciſione remanentis.

Tempus urgens. Quando ſaccus lacrumalis pure multum turget, & illo per expreſſionem liberari nequit, operatio eſt facienda, 1. ne ſaccus in alieno loco crepet, 2. ne pus ſaccum totum exulceret, deſtruat & cariem foſſæ lacrumalis inducat.

Præparatio ægri. Purgans detur & in plethoricis venæſectio aliquot ante operationem diebus fiat, victus ſit antiplogiſticus. Saccus lacrumalis per noctem valde intumeſcens mane non exprimatur, ut ſaccus tumidus locum pro inciſione bene monſtret.

Instrumenta. *Cultellus* pro inciſione ſacci. Poteſt culter cataractarius adhiberi.

Specillum mejani.

Stilus triqueter pro ductu naſali.

Acus triquetra curvata pro perforando oſſe lacrumali.

Chordæ fidium præparatæ, ſed craſſitiei diverſæ. *

Cereoli vel *ſtili ex plumbo.*

PRO DELIGATIONE. *Torunda parva.*

Emplaſtrum anglicanum ſemilunatæ figuræ.

SITUS PRO OPERATIONE: æger ſedeat in ſella verſus lucem, caput ejus a miniſtro retro ægri ſellam ſtante retineatur. Chirurgus ante ægrotum ſtet.

OPERATIO IPSA.

1. Chirurgus cultro *vulnus* longitudinale ſeu perpendiculare facit in ſacci lacrumalis prominentis cavitatem usque, ad 3 vel 4 lineas.
2. Vulnus parva *turunda* ex linteo carpto modice impleatur, & emplaſtro ſemilunato tegatur. Hæc prima deligatio triduo ſic relinquatur.
3. Quarto die vulnus aperiatur & *ſpecillum* in apice triquetrum, vel *ſpecillum* MEJANI per *ductum naſalem* obſtructum ſenſim in cavum narium trudatur. Ex ægri ſenſatione ſpecilli in cavo narium & ex exitu aliquot guttularum ſanguinis e cavo narium, ſcimus *obſtructionem* canalis naſalis ſuperatam eſſe.

* Chordæ fidium diverſæ craſſitiei humectentur, dein appenſis ponderibus elongentur & exſiccentur, tandem in fruſta, digitum longitudine æquantia, ſcindantur, ac in apicibus cultello aliquantum accuminentur.

4. Exemto ſpecillo ſtatim in canalem naſalem apertum intrudatur *chorda* fidium tenuiſſima, altero die *craſſior*, tertio *craſſiſſima.* Hæ chordæ in canali intumeſcunt, & illum dilatant. Sic per chordam craſſiſſimam ſed quotidie cum recenti mutatam, dilatatio canalis naſalis per 3 vel 4 ſeptimanas continuatur. *Extremitates* chordarum e naribus & vulnere ſacci prominentes inflectantur & emplaſtro conglutinentur, ne chorda excidat e ductu.

5. Demum loco chordarum *cereoli parvi* cum extracto ſaturni parati per 15 dies ductui naſali immittantur, tandem per 10 vel 15 dies *ſtili plumbei* loco cereolorum ductui naſali imponantur; ſed antea aliquoties guttulæ quædam extracti ſaturni vel aquæ Thedianæ injiciantur. Sic canalis dilatatus ſenſim *exſiccatur.*

6. Tandem omittantur hi ſtili plumbei, & vulnus externum ſolo emplaſtro anglicano vel diapalmæ tegatur. Sic vulnus intra aliquot dies ſua ſponte ſanatur. *

* Anelli methodus, qui ſine ſacci lacrumalis inciſione ſpecillo tenui per punctum lacrumale immiſſo, & Mejani methodus, qui ſimul introducto per vias lacrumales filo, obſtructionem ductus naſalis expedire conatur, ut & methodus de la Foresti, & Cabanisii, qui ſpecilla & ſetaceum per orificium na-

Symptomata, quæ operationi quandoque ſuperveniunt.

1. *Hæmorrhagia* ſub inciſione ſacci lacrumalis. Hæc a læſione arteriæ angularis provenit. Siſtitur facile linteo carpto, vel fungo agarico.

2. *Epiphora*, quæ quandoque poſt operationem remanet. Hæc vel a laxitate ſacci lacrumalis vel a punctis aut canalibus lacrumalibus concretis oritur. Ideo ante ſanationem vulneris ſacci lacrumalis ſemper exploret chirurgus, vel per ſtilum vel per injectionem, an canales lacrumales ſint aperti, nam ſi eſſent concreti ſtilo prius illos aperire deberet. Si ergo jam ſanato vulnere ſacci lacrumalis hi ductus concreti inveniantur, nova inciſio ſacci & perforatio ductuum lacrumalium fieri deberet. Epiphora autem a laxitate ſacci lacrumalis curatur, ut *hydrops ſacci lacrumalis*, quem *vide*.

3. *Callositas vulneris*, quæ ſub dilatatione a torundis & a ſtilis plumbeis quandoque oritur. Hæc exigit, ut orificium calloſum vel guttula butyri antimonii, aut ſoluti

ſale ductus naſalis in ſaccum lacrumalem introducere ſuadent, rariſſime peragi poteſt, & utplurimum ſine medela malum exaſperat. V. Melzger *curationum chirurgicarum, quæ ad fiſtulam lacrumalem hucusque fuerunt adhibitæ, hiſtoria critica* 1772.

lapidis infernalis, aliquoties tangatur, vel cuſpide cultelli, in vulnere circumvoluto, margo calloſus reddatur recens, vel apex parvæ torundæ unguento cantharidum imbuta per horam ulceri imponatur. Sic ablato callo vulnus ut recens ſanetur.

4. *FISTULA LACRUMALIS COMPLICATA CUM RUPTURA SACCI LACRUMALIS.* Si mucus puriformis ſua glutinoſitate puncta lacrumalia & ſimul ductum naſalem obſtruit, ac tamen a glandulis in cavo ſacci lacrumalis continuo ſecerni pergit, tunc demum ſaccus lacrumalis cum ſuperjacente cute *rumpitur* extrorſum.

Hæc *ruptura* vel in *medietate* ſacci lacrumalis, vel in *loco alieno*, ut ſub inferiori palpebra, contingit.

Ruptura in *loco legitimo*, ſeu medietate ſacci lacrumalis orta, ut plurimum nimis exigua eſt, hinc ſufficienter dilatari debet, ut chordæ in ductum naſalem applicari poſſint.

Ruptura in *loco illegitimo* orta exigit, ut operatio in ſacco lacrumali inſtituatur, alias nec illegitima ruptura, nec fiſtula lacrumalis curari poteſt.

5. *FISTULA LACRUMALIS CUM CARIE FOSSÆ LACRUMALIS COMPLICATA.* Hæc ſpecies raro obſervatur, & ex neglecta inciſione ſacci lacrumalis oritur. *Caries oſſis lacrumalis* fœtorem fiſtulæ & narium,

carnem fungoſam in ſacco & canali naſali producit. Hæc caries exigit, ut:

1. *Interne anticarioſa* adhibeantur nempe cortex peruvianus cum aſa fœtida.

2. *Externe*, vel cultro vel cauſticis ut ſolutione ſaturata lapidis infernalis auferatur caro fungoſa, dein eſſentia euphorbii, maſtichina, vel myrrhæ ad inhibendum cariei progreſſum applicetur.

3. Tandem ſi ductus naſalis adeo obliteratus eſt, ut ſtilo triquetro non aperiri & chordis pervius reddi poſſit, tunc *nova apertura* ope acus triquetræ craſſioris per os lacrumale, & internam narium membranam in cavum narium fieri debet. Sanguis e nare profluens, & aer e vulnere fiſtulæ compreſſis naribus prorumpens ſunt ſigna perforati oſſis lacrumalis.

4. Hæc apertura ſtatim torunda ex linteo carpto expleatur, & ſic per triduum relinquatur.

5. Dein exempta torunda 3 chordæ fidium præparatæ, & craſſiſſimæ in factam aperturam per 3 vel 4 ſeptimanas immittantur, ut hæc dilatata maneat.

6. Tandem loco chordarum vel cereoli ſaturnini, vel ſtili plumbei, quæ craſſitiem trium chordarum habent, per 25 dies in aperturam ponantur. Simul aqua frigida & liquo-

re adſtringente apertura exſiccetur, ac calloſa reddatur.

7. Tandem omiſſis cereolis & ſtilis vulnus externum ſacci conſolidetur.

6. *Fistula lacrumalis complicata cum acrimonia*, quæ nempe ex acrimonia venerea, ſcrophuloſa, varioloſa, tineoſa, arthritica (quæ imprimis verno & autumnali tempore facile revertitur); aut alia oritur, præter *curationem generalem* ſimul *ſpecifica* medicamenta exigit.

ENCANTHIS.

Eſt excreſcentia vel intumeſcentia carunculæ lacrumalis.

Effectus encanthidis ſunt deformitis, lacrumatio, quandoque ectropium.

Species hujus mali ſunt:

1. *Encanthis benigna*, ſeu excreſcentia indolens, mollis, rubra, granuloſa fructus mori adinſtar.

Curatur 1. *Exſiccatione* cum extracto ſaturni, 2. *Ligatura* radicis. 3. *Exciſione* portionis ſuperfluæ. 4. *Cauſtico*.

2. *Encanthis maligna*, eſt excreſcentia lancinans, plumbei coloris, dura, inæqualis. Hæc ſpecies in cancrum abit, hinc ut talis tractetur.

3. *Encanthis inflammatoria*, ſeu *inflammatio* carunculæ lacrumalis. Noſcitur ex intumeſcentia rubra, calente, dolente ſubito nata, increſcit hæc ſpecies quandoque in ingentem magnitudinem, & inciſa, vel ſponte rupta pus fundit ac ſubito conſidet.

Curatio exigit ab initio reſolutionem cum aqua vegetominerali: ſi reſolutio non ſuccedit, applicetur per aliquot dies cataplaſma emolliens, & dein incidatur tnmor.

RHYAS.

Eſt cacrunculæ lacrumalis decrementum vel defectus.

Causa proxima eſt defectus nativus, vel exciſio, vel eroſio a quacunque acrimonia.

Hoc malum eſt *incurabile*, ac epiphoram inducit inſanabilem, cum lacus lacrumalis perpetuo hiet.

PERIBROSIS.

Eſt eroſio ſeu ulceratio commiſſurarum palpebralium Frequentiſſime commiſſura palpebrarum interna ha eroſione afficitur.

Species ſunt:

1. *Peribrosis ab acrimonia lacrumarum*, ut in epiphora acrimonioſa obſervatur. Exigit ablationem epiphoræ & dein ſolutionem lapidis divini.

2. *PERIBROSIS AB ÆGYLOPE*, quæ ſe quandoque in commiſſuram usque extendit.

Curatur evaneſcente ſeu ſanato morbo primario. V. *ægylops*.

LEMOSITAS.

Eſt ſordities puriformis interno oculi cantho inhærens. *

Causa proxima eſt ſebi ocularis collectio in interno oculi cantho.

Species ſunt:

1. *LEMOSITAS VULGARIS*, quæ evigilantibus a ſomno, itinerantibus a pulverulentia aeris, & ægrotis quibusdam a morbo contingit.

Curatur elutione oculorum.

2. *LEMOSITAS CONSTANS*, quæ diu permanet, & a lippitudine carunculæ lacrumalis originem habet.

Curatur ut *lippitudo palpebrarum*.

LACRUMATIO SANGUINEA.

Eſt ſudatio ſanguinis ſpontanea ex oculis.

Causa proxima eſt extremitatum arterioſarum anaſtomoſis ſeu dilatatio. Viſæ fuerunt feminæ, quibus ſanguis omni menſe non ex utero, ſed ex oculis profluebat. * *

---

* Hæ ſordes græcis dicuntur *lemia* vel *gramia*.

* * DODON. *obſervat. cap.* 15.

Curatio exigit venæſectionem & reſtitutionem menſtruorum.

MORBI MEMBRANÆ CONJUNCTIVÆ.

OPHTHALMIA.

Eſt membranæ conjunctivæ vel totius bulbi oculari inflammatio, quæ ex oculi rubore, calore, do lore & tenſione noſcitur.

Causa proxima eſt vaſorum ocularium in parte ir flammata dilatatio & oſcillatio a ſtimulo inflam matorio, qui oculum immediate vel conſenſual ter afficit.

Causa disponens eſt oculi debilitas vel nimia ſen tivitas.

Multiplex habetur ophthalmiarum diviſio & denom natio, quæ ab inflammationis *ſede*, *gradu*, *d ratione*, *complicatione* & *cauſa* peti ſolent.

A *ſede* dividitur ophthalmia.

1. In *externam*, quæ in conjunctiva & quandoq in ipſa cornea.
2. — *internam*, qnæ in iride, uvea, vel chor dea ſedem habet.
3. — *angularem*, quæ ſolum oculi canthum ternum vel internum occupat.

A *gradu vehementiæ* dividitur:

1. In *levem*, quæ *taraxis*.
2. — *graviſſimam*, quæ *chemoſis* dicitur.

A *duratione* diſcernitur ophthalmia:

1. In *acutam*, quæ febrem habet comitem & non diu durat.
2. — *chronicam*, quæ ſine febre eſt, atque plures menſes, imo annos durare ſolet.
3. — *periodicam*, quæ determinato die aut tempore redit.

A *complicatione* dividi poteſt:

1. In *complicatam*, quæ cum alio morbo oculari jungitur.
2. — *ſymptomaticam*, quæ alii morbo oculari ſupervenit.
3. — *humidam*, quæ vehementem humoris ſeroſi vel purulenti effluxum habet.
4. — *ſiccam*, quæ ſine omni humoris effluxu eſt.

A *cauſa* tandem dividitur ophthalmia:

1. In *violentam*, quæ a cauſa externa.
2. — *conſenſualem*, cujus cauſa in abdomine vel alio loco eſt.
3. — *idiopathicam*, cujus cauſa in ipſo oculo eſt.
4. — *acrimonioſam*, quæ a metaſtaſi acrimoniæ oritur, ut catarrhalis, venerea, gonorrhoica, cancroſa, ſcrophuloſa, varioloſa, morbilloſa, exanthematica, rheumatica, arthritica, febrilis.

Ex his ergo ſequentes ophthalmiarum SPECIES conſtitui poſſunt.

1. *TARAXIS.* Eſt leviſſima oculi inflammatio, in qua rubedo albicans eſt, & dolor modicus. Oritur a levi cauſa: ut vapore acri, dentitione, lectione immodica, ſolis ardore, illapſo corpore heterogeneo, tempeſtate humida, vento ſicco, vel frigido.

Curatio exigit collyrium repellens ex aqua vegetominerali, vel aquam frigidam. Venæſectione & purgatione opus eſt, ſi inflammatio increſcit.

2. *CHEMOSIS.* Eſt vehementiſſima oculi inflammatio, in qua conjunctiva oculi tunica ut pannus ſcarlatinus rubet & ita intumeſcit ac ſuper corneam adeo elevatur, ut hæc in foſſa quaſi locari videatur. Utplurimum palpebræ ſimul inflammantur, cornea fit turbida & rubicunda, dolor adeſt atrociſſimus præſertim in ſuperciliis, qui nocte cum febre & vigiliis, ac ſenſatione pulſationis in capite & oculo, primis præſertim diebus, exacerbatur, viſus penitus obfuſcatur.

Exitus chemoſeos rarius eſt in *reſolutionem*, frequentiſſime autem in *ſuppurationem*, qua vel bulbus oculi rumpitur, vel alius atrox morbus in oculo relinquitur, ut opacitas corneæ, ſtaphyloma, varices conjunctivæ, ulcera corneæ, fiſtula lacrumalis, pterygium.

Curatio exigit, ut illico validiſſima revellentia & antiphlogiſtica adhibeantur. Hinc:

1. Fiant *venæſectiones repetitæ* in brachio, pede, jugulo.
2. *Hirudines* 6 vel 8 ad canthos oculorum.
3. *Sectio arteriæ temporalis.*
4. Detur *validum purgans*, reliquis diebus *eccoproticum.*
5. *Veſicatoria* ad nucham.
6. *Emulſio refrigerans* cum nitro & diacodii ſyrupo.
7. His remediis nil juvantibus fiat ope lanceolæ *ſcarificatio* tumidæ conjunctivæ. *Ophthalmoxyſis Woolhouſiana* evitetur. *
8. *Externe* applicetur fomentum ex aqua vegetominerali, aut cataplaſma pomaceum; remittente inflammatione fiat fomentum ex ſolutione aluminis, aut ſacchari ſaturni, aut vitrioli albi.

3. *Phlegmone oculi*, ſeu *ophthalmia interna*, eſt inflammatio iridis, uveæ & choroideæ. Noſcitur ex albugineæ modico rubore, at iris eſt rubra & pupilla adeo conſtricta ut æger prorſus videre nequeat. Summa adeſt lucis intollerantia, dolor & pul-

---

* Lange *Commentatio de ophthalmia. Tirnav.* 1777. p. 47. & Schmucker *Chirurg. Wahrnehmungen.* 1, T. 382. S.

ſatio intollerabilis in oculi fundo & capite, bulbus nonnunquam e ſua ſede propellitur. Jungitur ſimul febris vehemens, adſunt vigiliæ nocturnæ & delirium, præſertim in junioribus & ſenſilioribus.

Non raro chemóſis in phlegmonem oculi & phlegmone in chemoſim abit. Tunc omnium ophthalmiarum acutiſſima & periculoſiſſima adeſt, quæ frequentiſſime hypopio finitur, quo oculus rumpitur & immedicabilis ſequitur cæcitas.

Quandoque tamen interna oculi inflammatio ſynizeſim, ſynechiam, cataractam, amauroſim, amblyopiam, iridis fiſſuram relinquit, licet diſcutiatur.

Curatio eadem adhibeatur ac in chemoſi.

4. *OPHTHALMIA ACUTA* eſt ophthalmia vulgaris cum febre ſtipata, at intra aliquot dies vel ſeptimanas terminanda; taraxi aliquantum eſt vehementior, & præter phlogiſticam, nullam peculiarem ſibi junctam habet acrimoniam.

Curatio generalis exigit venæſectiones, purgantia, antiphlogiſtica, & *externe* aquam vegetomineralem.

5. *OPHTHALMIA CHRONICA* ſeu *HABITUALIS*, eſt ophthalmia diu jam durans,

valde rubens at utplurimum indolens, naſcitur ex laxitate vaſorum. *

Curatio exigit roborantia interne & externe adhibenda.

Externe, aqua frigida, aqua ophthalmica camphorata, ſaturnina, vitriolata, aluminoſa, ſpirituoſa, tinctura Thebaica ** aut unguentum ophthalmicum rubrum applicetur.

Interne detur cort. peruvianus, valeriana vinum.

6. *Ophthalmia sicca*, *** eſt ophthalmia habitualis, in qua vix lacrumæ, nec tumor in palpebris, obſervantur; rubedo & pruritus in tarſis palpebrarum, quæ noctu cohærent, adeſt.

Cauſa eſt acrimonia humorum, hinc malum pertinax. Superveniens dyſuria quandoque critice ſolvit.

Curatio exigit *venæſectionem*, & *purgantia* ſæpius repetita.

Juſcula diuretica, ſanginem purificantia.

Serum lactis & aquas acidulas.

Balnea tepida.

---

* Huc etiam refero *ophthalmiam indolentem*, in qua oculus ſine omni dolore valde rubet, ut aliquoties vidi. Idem confirmat *Cel.* RICHTER, JANIN & GENDRON. V. *Cel. Profeſſ.* RICHTER *Chirurgiſche Bibliotheck*, 1. *B.* 4. *Stück.* p. 124.

** *Sammlung zum Gebrauch prakt. Aerzte* 6. B. 2. St. p. 366. de hac tinctura & aliis remediis in ophthalmia chronica laudatis vide formulas calci hujus libelli adnexas.

*** Græcis dicitur *Sclerophthalmia* & aliis *Xerophthalmia.*

Collyrium ex lacte crocato, cataplaſmate pomaceo, lacteo.

Collyrium obvolvens, ex amylo vel ſemine cydoniorum.

7. OPHTHALMIA HUMIDA eſt ophthalmia habitualis cum palpebrarum intumeſcentia circa tarſos, ac copioſa lacrumatione aut lippitudine complicata.

Cauſa eſt acrimonia humorum, unde malum adeo eſt pertinax, oculos, palpebras & genas excorians.

Curatio exigit:

Venæſectionem & *hyrudines* ad oculorum canthos.

Purgantia repetita.

Veſicatorium ad nucham vel inter ſcapulas.

Fonticulos aut *ſetaceum* in malo graviori.

Juſcula ſanguinem edulcorantia vel antacrimonioſa ſpecifica.

Collyrium ab initio *obvolvens* ex amylo, vel ſemine cydoniorum, & ad finem collyrium *vitriolatum*, vel ex *ſaccharo ſaturni* aut *alumine*.

8. OPHTHALMIA VIOLENTA, quæ ab oculi percuſſione, arenula illapſa, involatu inſecti vel vulneratione oritur, ut poſt cataractæ operationem obſervatur.

Curatur fomento ex vino herbis cephalicis infuſo, vel cataplaſmate pomaceo, & venæſectione.

9. *Ophthalmia consensualis*, quæ a ſaburra primarum viarum oritur, ex ſignis ſaburræ acidæ, putridæ, bilioſæ vel verminoſæ, quæ infantibus eſt familiaris, noſcitur. Hæc ſpecies eſt ſæpe indolens. ac febrem remittentem gaſtricam habet quandoque comitem. *

Curatur ſalibus digeſtivis, purgantibus & anthelminticis, ſi a vermibus eſt.

Ad ophthalmiam conſenſualem pertinet etiam illa, quæ a dentitione, dolore capitis, obſtructione viſceris, & aliis cauſis, ab oculo diſſitis, oritur.

Curatur ablato morbo primario.

10. *Ophthalmia encephalica*, quæ a cerebro affecto oritur. *Noſcitur* ex ſignis cerebri inflammati. Mali eſt ominis ophthalmia, quæ phrenitidi, febri acutæ, aut capiti contuſo circa ſeptimam diem ſupervenit, deſignat enim cerebrum inflammatum, ſuppuratum, vel gangrænoſum eſſe, & mortem inſtare.

Curatio adhibeatur phrenitidis.

11. *Ophthalmia plethorica*, quæ a ſanguinis congeſtione ad oculos oritur. *Signa* habet ſanguinis ad caput congeſti.

---

* Selle *Rudimenta Pyretologiæ methodicæ* 1773. *Berolini* p. 108.

Oritur a plethora, menſtruis, hæmorrhoidibus ſuppreſſis, abuſu ſpirituoſorum, conatu vomendi, tuſſiendi, alvum duram vel partum deponendi.

Curatur. Venæſectionibus, purgantibus, reſtitutis excretionibus ſuppreſſis. *Externe* aqua frigida conducit.

12. *OPHTHALMIA CATARRHALIS*, quæ a transſpiratione præſertim matutina ſuppreſſa originem ducit, * ut catarrhus per aliquot dies durat, & facta coctione materiæ catarrhalis humor puriformis ex oculo profluit, atque ophthalmia evaneſcit.

Curatio ergo exigit curationem catarrhi. *Externe* lac crocatum prodeſt.

13. *OPHTHALMIA GONORRHOICA*, quæ a ſuppreſſa gonorrhæa venerea oritur, dum materies virulenta ad textum celluloſum membranæ conjunctivæ ſeu albugineæ per metaſtaſim deponitur.

Diagnoſis. Biduo vel triduo poſt ſuppreſſam gonorrhæam oritur uberrima lippitudo, ſeu fluxus ex oculo rubente humoris alboflaveſcentis, puriformis, & materiæ gonorrhoicæ, antea ex pene ſtillanti, ſimillimi. Rubor oculo-

* HOFFMANN *Diſſ.* de præcipuis oculorum morbis, & BLOCH *mediciniſche Bemerkungen.* Mulier quotiescunque parieti humido accubuit, ophthalmia afficiebatur.

rum circa auroram ut in ophthalmia venerea non remittit, & fere ſemper in peſſimam *chemoſim* abit, qua cornea obſcuratur, & membrana conjunctiva adeo intumeſcit, ut corneam in foveam quaſi depreſſam exhibeat.

Prognoſis. Hæc ophthalmia difficulter reſolvitur, utplurimum terminatur in ſuppurationem oculi interni, opacitatem corneæ, & immedicabilem cæcitatem.

Curatio, huc usque conſueta, nempe venæſectiones, hirudines ad canthos oculorum, veſicatoria, fonticuli, purgantia per occiduum data ex nitro & rheo, cataplaſmata diſcutientia ad oculum & emollientia balnea ad membrum virile, vix quidquam juverunt, ego plurimos hac methodo obcæcatos vidi, hinc conſuetis remediis hiſce addidi:

1. Uſum internum *mercurii gummoſi* ad 30 grana pro die.

2. *Balneum oculi mercuriale*, quod ex uncia una mercurii gummoſi, in libra lactis coquenda, componitur, & quo oculi, mediante parvo vaſculo vitreo, omni media hora tepide balneari debent.

3. Si nec mercurii uſus malum fugaret, poſſet *inoculatio gonorrhϾ* ope cereoli, pure gonorrhoico maligno obliniti & urethræ immiſſi, fieri. * at:

---

* *Cel.* LANGE *Commentatio de ophthalmia.* p. 78.

Ophthalmoxyſis aut conjunctivæ *exciſio* nil proſunt, imo nocent. *

14. *OPHTALMIA VENEREA*, quæ ab acrimonia venerea per totum corpus diffuſa originem ducit. Hæc a gonorrhoica ophthalmia differt, quod circa auroram remittat & *nunquam* in chemoſim abeat.

Curatur uſu interno mercurii gummoſi, *externe* balneum oculi mercuriale, vel balſamum ophthalmicum mercuriale applicetur.

15. *OPHTHALMIA CANCROSA*, eſt rubor levis oculorum & marginum palpebralium, qui carcinomata exulcerata, quocunque in loco corporis ſita, comitatur.

Curatio a cancri curatione pendet. V. *Rubor marginum palpebralium.*

16. *OPHTHALMIA SCROPHULOSA*, quæ infantibus ſcrophuloſis familiaris eſt. **

Noſcitur ex ſignis acrimoniæ ſcrophuloſæ.

Curatur uſu interno corticis peruviani, antimonii, conſervæ cicutæ, æthiopis mineralis, ſaponis Veneti, aquilæ albæ, gentianæ.

Externe decoctum corticis peruviani cum alumine pro collyrio adhibeatur, demum veſicatorio vel ſetaceo excitetur ulcus artificiale. Venæſectio & valida purgantia ſcrophuloſis nocent.

---

* SCHMUCKER *chirurg. Wahrnehmungen* I. T. 482. S.

** BISSET. *Medical eſſays and obſervations.* p. 119.

17. *Ophthalmia exanthematica*, quæ a metaſtaſi materiæ alicujus morbi exanthematici, ad oculum depoſiti, provenit. Noſcitur ex præſenti vel prægreſſo morbo exanthematico: morbilis, ſcabie, herpete, tinea capitis.

Curatio exigit revocationem exanthematis, & derivationem humoris acris ab oculis. Hinc præter medicamenta ſpecifica ſalus eſt in revellentibus, ut ſetaceis, fonticulis, veſicatoriis & externis repellentibus.

18. *Ophthalmia variolosa* oritur utplurimum aliquot ſeptimanas poſt exſiccatas variolas, præſertim ſi æger non bene purgatus fuerit, aut auræ frigidæ ſe nimis cito exponat, pertinax, humida & acris eſt, quandoque per annos affligit. Sæpe in maculas & ſtaphylomata corneæ abit.

Curatio exigit purgantia crebriora, antimonialia, mercurialia, ulcera artificialia & balnea.

19. *Ophthalmia rheumatica* & *arthritica*, vix ruborem facit, at dolorem intenſum, & lacrumationem acrem. V. *Ophthalmodinia rheumatica.*

20. *Ophthalmia onanistica*, quæ pollutionibus frequentioribus inducitur.

Curatur aqua frigida vel vegetominerali, ad oculos applicato, & balneo frigido totius cor-

poris. *Interne* dentur roborantia, cortex peruvianus, valeriana, mars. *

21. *OPHTHALMIA COMPLICATA*, eſt oculi inflammatio, quæ ab alio morbo oculari excitatur, ut a *trichiaſi*, *trachomate*, *ulcere*, vel *fiſtula corneæ*, *ſynechia*, *lagophthalmo*, *ectropio*, *carbunculo albugineæ*, *puſtula corneæ*, *hordeolo palpebrarum*, *corpore alieno in oculum illapſo*, *vel vulnere oculi*.

Curatio hujus ophthalmiæ exigit ablationem morbi primarii, qui ophthalmiam excitat. Hinc vide *morbos citatos*.

22. *OPHTHALMIA EPIDEMICA*. Ophthalmia *catarrhalis* a tranſpiratione ſuppreſſa & ophthalmiæ *autumnales* a bile corrupta non raro epidemice obſervantur.

Curatio ergo vel ut in *catarrhali*, vel ut in *gaſtrica* inſtituatur. **

23. *OPHTHALMIA PERIODICA*, quæ certo tempore aggreditur ut febris intermittens, quandoque cum, quandoque ſine rubore oculi eſt.

---

* BÖRNERS *praktiſches Werk von der Onanie. Leibzig* 1776. p. 223.

** Ophthalmiam epidemicam adnotavit *Cel.* HUXHAM. *Opera medico-phyſica*, & HOFFMANN. l. c. Ophthalmias autumno epidemico-bilioſas v. in *Hiſtoria morborum Vratislavienſium*. p. 237. & HIPPOCRATES *Aphoriſ. Sect.* 3. aphor. 2.

Curatur digeſtivis, purgantibus, & dein dato cortice peruviano. *

OPHTHALMODINIA.

Eſt oculi vehemens dolor ſine magno oculi rubore. Hicce dolor *varius* eſt, pruriens, ardens, preſſorius arenoſus.

Species ſunt:

1. *Ophthalmodinia rheumatica*, eſt oculi dolor cum leviſſimo, vel nullo penitus oculi rubore. *Inflammatio* enim *rheumatica* eſt ſeroſa & ruborem non producit.

Curatio exigit purgantia antiphlogiſtica, lenia diaphoretica atque veſicatoria. Collyria humida in rheumaticis & arthriticis oculus non fert.

2. *Ophthalmodinia periodica* eſt oculi dolor ſine rubedine, qui certis & ſtatis temporibus redit. Habet ſimul comitem pulſum celeriorem, ſitim, lacrumationem, urinam intenſe rubram, quandoque lateritiam.

Curatur ut febris intermittens: nempe ab initio purgantibus, & dein dato cortice peruviano, aut infuſo florum arnicæ.

---

* Ophthalmiam quotidianam obſervavit Buter. V. ejus *treatiſe on the Kincough*. 1707. *Lond.* p. 27. & Sagar *Syſtema morborum* p. 236. ophthalmiam tertianam vidit *Illuſtr.* Rosenstein. V. *Kinderkrankheiten* pag. 415.

3. OPHTHALMODINIA SPASMODICA eſt dolor preſſorius in oculi bulbo, qui a ſpaſmo muſculorum bulbi in hyſtericis & hypochondriacis, atque etiam finito fletu obſervatur.

Curatur mora, nervinis, & antiſpaſmodicis.

4. OPHTHALMODINIA AB INTERNA OCULI INFLAMMATIONE. Dolor & ſenſatio adeſt, ac ſi bulbus ex orbita exprimeretur. V. *Phlegmonem oculi.*

5. OPHTHALMODINIA HYDROPHTHALMICA, poſt frontis dolorem viſus obſcuratur, pupilla, dilatatur, & oculi bulbus eminentior eſt. Videtur ergo hæc ſpecies ab incipiente hydrophthalmia humoris vitrei pendere.

Curatur venæſectione, purgantibus, veſicatorio. V. *Hydrophthalmia.*

6. OPHTHALMODINIA ARENOSA, eſt dolor pruriens & ſimul ſenſatio ac ſi arenula oculo inſperſa eſſet, qui incipientes ophthalmias, arenulas oculo illapſas, & naſcentia hordeola comitatur.

Curatio exigit eluitionem oculi cum aqua frigida vel aqua vegetominerali.

7. OPHTHALMODINIA SYMPTOMATICA, quæ alius morbi ocularis ſymptoma eſt, ut ophthalmiæ, hordeoli &c.

Curatio exigit ablationem morbi primarii.

8. *Ophthalmodinia cancroſa*, quæ ab acrimonia cancroſa in oculum depoſita oritur. V. *Carcinoma oculi.*

VARICOSITAS CONJUNCTIVÆ.

Eſt venarum in membrana conjunctiva dilatatio in varices. *

Causa proxima eſt laxitas harum venarum.

Species ſunt:

1. *Varicositas simplex*, quæ poſt ophthalmias ſæpe remanet.

Curatur aqua vitriolata.

2. *Varicositas complicata cum pterygio.*

Curatio exigit, ut varices, quæ ab oculi cantho ad radicem pterygii pergunt, lanceola vel acu oculari transverſim diſcindantur, & ſolutione ſaturata vitrioli exſiccentur. De varicoſitate cancroſa. V. *Carcinoma bulbi.*

ECCHYMOSIS CONJUNCTIVÆ.

Eſt ſanguinis effuſio in cellulas membranæ conjunctivæ.

Quandoque ſolummodo macula livida vel rubra in albo oculi obſervatur, quandoque tota vel dimidia conjunctiva a ſanguine effuſo livet.

---

* *Cirſophthalmia* dicitur græcis.

Species ſunt:

1. *Ecchymosis violenta*, quæ a percuſſione oculi oritur. Hæc ſpecies plerumque cum inflammatione complicatur.

2. *Ecchymosis spontanea*, quæ ſine prægreſſa oculi contuſione a vomitu, tuſſi vel riſu oritur. Hæc ſpecies utplurimum periculo & inflammatione vacat.

Curatur utraque ſpecies fomento ex ſpeciebus cephalicis vino infuſis.

PUSTULA CONJUNCTIVÆ.

Eſt veſicula pure turgida, quæ in conjunctiva ad limbum corneæ utplurimum invenitur, & ad quam faſciculus vaſorum rnbrorum excurrit.

Species ſunt:

1. *Pustula vulgaris*, quæ ab ophthalmia angulari oritur.

Curatur ſedata inflammatione, aqua camphorata & dein ſolutione lapidis divini.

2. *Pustula acrimoniosa*, quæ in venereis, varioloſis, & ab aliis acrimoniis excitatur. Præter mox dicta remedia externa exigit medicamenta interna ſpecifica.

PHLYCTENA CONJUNCTIVÆ.

Eſt veſicula aqua plena, in membrana conjunctiva oculi.

Species ſunt:

1. *Phlyctena indolens*, quæ hydatidi eſt ſimilis.

   Curatio exigit inciſionem, & exſiccationem cum aqua vitriolata.

2. *Phlyctena ardens*, quæ in limbo rubet, & dolet: oritur a varia ſanguinis acrimonia, & non raro in ulcera peſſima conjunctivæ degenerat.

   Curatio exigit ablationem inflammationis, collyria exſiccantia, & interna ſpecifica.

PAPULA CONJUNCTIVÆ.

Eſt tuberculum durum, in conjunctiva oculi.

Quandoque una, quandoque permultæ tales papulæ adſunt:

Causa videtur eſſe induratio alicujus glandulæ ſubcutaneæ in conjunctiva. *

Curatio exigit medicamenta reſolventia *interne* & *externe* applicanda.

CARUNCULA.

Eſt papula mollis & rubicunda ex conjunctiva excreſcens carunculæ carneæ ſimilis. **

Causa videtur eſſe transſudatio humoris lymphatici in tuberculum concreſcentis.

---

* Janin l. c. p. 58.

** Græcis vocatur *epanaſtema*, & colore rubente differt a *pinguecula*, quæ flaveſcit: V. *Pterygium*.

Species ſunt:

1. *Caruncula simplex*, quæ ſine alio morbo albugineæ eſt.

   Curatur ſolutione vitriolata.

2. *Carunculæ complicatæ*, quæ ulcera, & alios morbos conjunctivæ comitantur.

   Curatur etiam ſolutione vitriolata, vel butyro antimonii.

CARBUNCULUS OCULI.

Eſt tuberculum in albuginea, vel in ipſa cornea, ab initio ſaturate rubens, & ardens, dein in cruſtam gangrænoſam abiens.

Causa proxima eſt miaſma carbunculoſum. Hic morbus utplurimum oculi ſphacelum, cæcitatem & non raro mortem infert.

Curatio. Externe applicetur oculo mucilago cydoniorum camphorata, & aqua vegetomineralis. *Interne* detur acetum cum camphora & cortice peruviano.

ULCUS CONJUNCTIVÆ.

Eſt ſolutio purulenta in conjunctiva.

Species ſunt:

1. *Ulcus simplex*, quod a cauſa externa vel prægreſſa inflammatione pura ortum eſt.

   Curatur balſamo vulnerario ophthalmico, vel ſolutione lapidis divini.

2. *Ulcus venereum*, quod a chemoſi gonorrhoica, vel venereis puſtulis conjunctivæ ſæpe remanet.

Curatur ſolutione diluta ſublimati corroſivi cum melle roſaceo.

3. *Ulcus scrophulosum.* Quod ex prægreſſa chemoſi ſcrophuloſa quandoque remanet.

Curatur interno uſu cort. peruv. cum conſerva cicutæ, & aliis antiſcrophuloſis. *Externe* decoctum corticis cum alumine quandoque prodeſt.

ALIENA OCULIS ILLAPSA.

Sunt corpora peregrina oculis illapſa, ut arenula, feſtuca, inſectum, ramentum ferri.

Excitant hæc corpora aſſiduam nictitationem, lacrumationem, oculi inflammationem.

Species ſunt:

1. *Corpora aliena inter bulbum et palpebras locata.* Hæc elui, aut ex oculi cantho interno digitis exprimi poſſunt. Aut *lingua* ab alio homine elambantur, vel *penicillo* abſtergantur, aut *volſella*, vel *ſtilo* eximantur. Ramentum ferreum magnete applicato quandoque extrahi poteſt.

2. *Corpora aliena corneæ vel conjunctivæ infixa.* Hæc volſella eximi debent, vel ſi hoc fieri nequeat, acu

dilatetur locus, cui corpus heterogeneum adhæret.

MORBI CORNEÆ.

OBSCURATIO CORNEÆ.

Eſt corneæ totius perfecta vel imperfecta impelluciditas.

Noscitur ex corneæ colore naturali depravato, viſu obſcuro vel nullo.

Causa proxima eſt vel *effuſio* humoris inter lamellas corneæ, vel *ſtagnatio* humorum ſeroſorum in vaſis pellucidis corneæ, vel *concretio* vaſorum aut fibrarum, quæ corneam conſtituunt.

Causæ remotæ ſunt *inflammatio* corneæ, *calor* ignis, *depoſitio* humoris varioloſi, venerei, ſcrophuloſi, *ſubſidentia* corneæ, inflata *coagulantia* ut vitriolum.

Effectus ſunt: amblyopia ſi obſcura, cæcitas ſi penitus opaca, viſus dimidiatus, ſi ſolummodo medietas corneæ opaca eſt.

Obſcuratio corneæ dividitur generatim:

1. In *imperfectam* ſeu *nuboſam*, quando tota cornea ſubpellucida, nubis vel fumi adinſtar obſcurata eſt, & ægrotus debilem adhuc habet viſum. Hæc ſpecies curabilis eſt.
2. In *perfectam* ſeu opacam, quando tota cornea flava vel cretacea eſt, & ægrotus penitus nil

videt. Hæc ſpecies eſt *incurabilis* præſertim ſi malum jam antiquum eſt. Si vero opacitas hinc inde locum cæruleſcentem ſeu nuboſum exhibeat, applicentur remedia huic loco, ut ſaltem ille reddatur pellucidus.

Species obſcurationum corneæ ſunt:

1. *Obscuratio ab inflammatione corneæ.*

Curatur ut ophthalmia chronica venæſectione, purgantibus, veſicatorio nuchæ applicato.

Externe collyrium vitriolatum, vel aqua vegetomineralis convenit.

2. *Obscuratio vulgaris*, quæ ſine cauſa ſpecifica oritur.

Curatio exigit interna reſolventia. *Extractum cicutæ*, *pulſatillæ nigricantis*, * *ſal mirabile*, *ſublimatus corroſivus*, *aquila alba*, præprimis laudantur cum interpolatis purgantibus.

Externe collyria abſtergentia, aut cauſtica dilutiſſima conveniunt.

1. *Pulvis* boracis, mercurii dulcis, aluminis uſti, vitrioli albi, opii; ex his grana quædam cum ſaccharo canarino in pulverem rediguntur.
2. *Solutio* boracis, mercurii dulcis, aluminis uſti, vitrioli albi, lapidis divini, ſalis tartari fixi, ſalis volatilis cornu cervi, fellis

---

* *Illuſtr. Baron. de* Störck *libellus de pulſatilla nigricante.*

lucii piſcis, lapidis infernalis, butyri antimonii, tartari emetici, auripigmenti, aloës. Parantur hæ ſolutiones ex aliquot granis horum medicamentorum, in uncia una aquæ vel mellis, ſolutis.

3. *Linimentum* ex mercurio præcipitato rubro, camphora & tutia præparata, quæ cum axungia viperina, medulla oſſium, butyro recenti, oleo muſtellæ fluviatilis, aut alio oleo in formam linimenti reducuntur.

4. *Præparata* ſunt aqua cærulea, balſamum ophthalmicum rubrum, balſamum ophthalmicum *Saint Yves*.

Omnia hæc medicamenta ope tenuis penicilli bene diductis palpebris corneæ opacæ aliquoties de die & per aliquot menſes illini debent, atque dolore nimio excitato oculus lacte tepido illico eluatur. Solutionibus autem oculus aliquoties de die balneari poteſt.

3. OBSCURATIO VENEREA, quæ a chemoſi venerea quandoque ſupereſt, quandoque ſine hac prægreſſa a miaſmate venereo, in corneam depoſito, ut in infantibus a parentibus venereis progenitis aliquoties vidi, originem habet. *

---

* *Illuſtr.* SAUVAGES l. c. p. I. p. 729. has obſcurationes infantum venereas dicit incurabiles. Ego plures tales infantes balneo oculari ex lacte mercuriali curavi.

Curatur uſu interno mercurii gummoſi, *Externe* unguentum ophthalmicum cum præcipitato rubro convenit, vel aqua vitriolata cum grano ſublimati corroſivi, vel balneo mercuriali.

4. OBSCURATIO SCROPHULOSA, quæ infantes ſcrophuloſos aggreditur.

Curatur uſu interno corticis peruviani, cicutæ, æthiopis mineralis. *Externe* decoctum corticis peruviani cum aqua ophthalmica cum ſapone veneto applicetur.

5. OBSCURATIO VARIOLOSA, quæ aliquot poſt finitas variolas ſeptimanas cum ophthalmia, vel ſine hac, corneam afficere ſolet, & non raro in ſtaphyloma corneæ degenerat.

Curatio exigit repetita purgantia, & corticem peruvianum.

Externe ut in obſcuratione vulgari tentetur butyrum antimonii.

6. OBSCURATIO A CORNEÆ RHYTIDOSI evaneſcit curata ſubſidentia corneæ. V. *Rhytidoſis.*

7. OBSCURATIO A STAPHYLOMATE curatur quandoque butyro antimonii. V. *Staphyloma.*

8. OBSCURATIO CORNEÆ COMPLICATA, ſeu quæ chemoſim, ſtaphyloma, ulcera & alios morbos comitatur.

Curatio exigit ablationem morbi primarii, & dein ſpecialem curationem obſcurationis, ut hucusque diximus.

MACULÆ CORNEÆ.

Sunt obſcurationes vel opacitates in quodam corneæ loco. *

Causæ ſunt eædem ac in obſcuratione corneæ.

Species macularum in cornea ſunt 6:

1. *Macula semipellucida* ſeu *nephelium*, eſt macula ſubpellucida, nubem, nebulam vel fumum in cornea referens. Oritur ab humore craſſo in vaſis pellucidis corneæ ſtagnantibus. * *

   Curatur ut *obſcuratio vulgaris.*

2. *Macula opaca* ſeu *leucoma* eſt macula penitus opaca, albi vel flavi coloris, dicitur etiam *albugo*. Oritur ab humore opaco inter lamellas corneæ effuſo.

   Curatur cauſticis dilutis, quæ in obſcuratione perfecta laudavimus.

3. *Macula margaritacea* ſeu *paralampsis*, eſt macula opaciſſima, cretacei vel albo-cærulei coloris, in figuram margaritæ, tuberculi albi adinſtar elevata, & indurata.

---

* Mauchart, *diſſert. de maculis corneæ in Collect. Halleriana.*

* * Græcis dicitur etiam *achlys* vel *ægis.*

Vix unquam ſanari poteſt. Interim pro tentamine laudantur ſequentia remedia:

1. *Extima* tuberculi *ſuperficies* tangatur lapide infernali, vel guttula butyri antimonii, aut ſolutione cantharidum vel auripigmenti.
2. *Extima* tuberculi *ſuperficies*:
   1. *Abradatur* xyſtro chalybeo, vel lima tenuiſſima vel vitro contuſo.
   2. *Abſcindatur* cultello.
   3. *Perforetur* acu plurimis puncturis, vel
   4. *Scarificetur* parvis inciſionibus & illico ſolutione acri in ſuppurationem redigatur.

4. *MACULA ARCUATA* ſeu *GERONTOXON*, eſt macula, quæ marginem corneæ totum vel pro parte arcus adinſtar ambit. Medietas corneæ pellucida manet, hinc diſcus corneæ adeo exiguus apparet. Eſt vitium ſenibus familiare, hinc *arcus ſenilis* vocatur; videtur a vaſis pellucidis in ſenio concreſcentibus oriri. Eſt vitium *incurabile*.

5. *CICATRIX* ſeu *OULE*, eſt macula oblonga, quæ vulneri aut ulceri corneæ ob vaſa pellucida concreta, ſuccedit. Vulnera acuto inſtrumento corneæ inflicta cicatricem viſibilem non relinquunt, ut poſt extractionem cataractæ videre eſt. Sola inſtrumenta obtuſa & vulnera corneæ multum ſuppurantia cicatricem relinquunt viſibilem, quæ raro iterum evaneſcit.

PTERYGIUM.

Eſt excreſcentia membranacea, quæ utplurimum alæ expanſæ adinſtar per membranam albugineam & corneam verſus pupillam ſenſim increſcit.

Causa proxima videtur extenſio ſeu prolongatio fibrarum & vaſorum membranæ conjunctivæ eſſe.*

Causæ remotæ ſunt inflammationes habituales membranæ conjunctivæ, relaxationes, depoſitiones acrimoniæ præſertim varioloſæ.

Species pterygiorum ſunt quatuor:

1. *Pterygium tenue* ſeu *ungula*, eſt pellicula pellucida, tenuis, cineritii coloris, indolens.

Curatur vel medicamentis vel abſciſſione.

Medicamenta ſunt ſolutio ſaturata vitrioli, lapidis divini, lapidis infernalis, butyrum antimonii, alumen uſtum cum ſaccharo, pulvis ophthalmicus *Cel.* Baldingeri.**

Abſciſſio exigit, ut pterygium tenui voſella in plicam elevetur, ac dein ut cultro oculari

---

* *Ill.* Richteri *obſervationum chirurgicarum faſcil. tertius.* 1780. *Göttingæ* pag. 2. Monſtrat illuſtris vir pterygium non eſſe carunculæ lacrumalis aut membranæ ſemilunaris prolongationem ſed degenerationem membranæ conjunctivæ, quæ corneam & album oculi obducit. Vide etiam Acrells *chirurg. Wahrnehmungen.*

** *Pharmacopoea edinburgenſis additamentis aucta a Cel.* Baldinger. p. 274.

ſenſim

ſenſim ſectio circularis in margine corneæ in albugineam fiat. Sic pterygium ſibi relictum poſt aliquot dies marceſcit, & vel ſponte ſecedit vel laxius adhærens facilius auferri poteſt. Pterygia, quæ filamentis ſolummodo adhærent, facile abſcinduntur, difficillime autem, quæ ubique accreta ſunt corneæ ac in plicam elevari non poſſunt.

2. *Pterygium crassum* ſeu *pannus.* Differt ab ungula craſſitie, colore rubro & congerie vaſorum rubrorum ſupra album oculi, ipſamque corneam faſciculi adinſtar expanſorum.

Curatur

1. *Abſciſſione*, quæ ut in priori ſpecie tentetur, ſic hoc quandoque contabeſcit.
2. *Medicamentis* cauſticis mox laudatis, raro aliquid efficitur.

3. *Pterygium malignum*, eſt pannus diverſicolor, dolens, varicoſus, ab acrimonia cancroſa ortus.

Curatio exigit curam cancri, quæ raro ſuccedit.

4. *Pterygium pingue* ſeu *pinguecula* eſt molecula lardo vel pinguedini ſimilis, mollis, indolens, flaveſcentis coloris, quæ utplurimum in angulo oculi externo ex albuginea naſcitur, & raro in corneam usque aſcendit, ſed per vitam ſæpe ſic manet.

Curatio, ſi in corneam aſcenderet, exigit *exciſionem.*

STAPHYLOMA.

Eſt corneæ morbus, quo hæc membrana præternaturalem ſuæ ſubſtantiæ craſſitiem & opacitatem ſubit. *

Causa proxima eſt humoris craſſioris decubitus inter lamellas corneæ, adeo ut interna & externa corneæ ſuperficies mirum in modum protuberet.

Causæ remotæ ſunt habitualis corneæ inflammatio, valida contuſio, at frequentiſſime a depoſitione humoris varioloſi poſt variolas oritur.

Species ſunt:

1. *Staphyloma totale*, quod totam corneam occupat; hæc ſpecies frequentiſſima eſt. Protuberat cornea opacata, ac ſi conus ex bulbo oculi promineret, increſcendo inferiorem palpebram propellit & adeo invertit, ut cornea elongata genæ incumbat, eam fricet & excoriet. Unde bulbus oculi aëris attactui expoſitus, ſordibus inquinatus, & ciliis palpebræ inferioris irritatus ſæpe acriter dolet, rubet & minimis papillis obſidetur.

---

* Veram hujus morbi notionem primus nobis dedit *Doctiſſimus Profeſſor* Richter. V. *Cel.* viri *faſcicul. II. obſervationum chirurgicarum. p.* 104.

Curatio. Incipiens ſtaphyloma quandoque aqua frigida aut vitriolata reſolvitur, ut nuper vidi; *antiquum* autem ſtaphyloma ſolo butyro antimonii reſolvi poteſt.

Palpebris bene diductis, ope penicilli parvi, cujus cuſpis butyri antimonii guttula madeat, illinatur cornea opaca omni altero vel tertio die; quamprimum æger a defluente medicamento dolorem in oculo ſentit, eluatur oculus lacte tepido. *

.. *STAPHYLOMA RACEMOSUM*, eſt ſtaphyloma, quod tuberculis carneis, caput aciculæ plerumque æquantibus vel majoribus, obſitum eſt.

Curatur ut ſtaphyloma ſimplex.

STAPHYLOMA PARTIALE, quod aliquam modo partem in cornea occupat. Exhibet ergo tumorem opacum e cornea prominentem, uvæ parvæ albicanti quodammodo ſimilem.

Curatur ut ſtaphyloma totale.

Hoc egregium remedium primus tentavit *celeberrimus* ophthalmiater gollicus JANIN. V. librum citatum; hanc methodum eſſe efficaciſſimam & tutiſſimam obſervationibus illuſtravit *Cel. Profeſſ.* RICHTER vid. l. c. p. 123. Etiam ego hanc methodum in tribus ægrotis tentavi, cornea prominens & opaca integre in ſuum locum receſſit, at opacitas corneæ inde emendata non fuit.

4. *Staphyloma scleroticæ* eſt tu-
mor cæruleſcens, uvæ parvæ cæruleſcenti ſimi-
lis, e quodam ſcleroticæ loco per albuginean
eminens.

Curatur etiam butyro antimonii.

5. *Staphyloma pellucidum*, in qu
cornea non incraſſata, admodum autem ex-
tenſa at pellucida eſt. * Hicce morbus eſt in-
cipiens hydrophthalmia, hinc ejus curatione
exigit. V. *Hydrophthalmia.*

6. *Staphyloma complicatum*, quo
cum ophthalmia, vel exulceratione oculi
cum ſynechia, ectropio, carunculis aut ali
morbo oculari complicatum eſt. Hi morbi ev-
neſcunt curato ſtaphylomate.

7. *Staphyloma iridis.* De hac ſpec
V. *Ptoſis iridis.*

ONYX.

Eſt abſceſſus ſeu puris collectio inter corneæ lame-
las. **

Signa ſunt macula alba, eminens, fluctuans, moll
Hoc caractere a leucomate, quod durum e
differt.

---

* Dicitur a quibusdam *ceratocele*, ſeu *hernia corneæ.*
BURGMANNI *epiſtola de ſingulari tunicarum utri-
que oculi expanſione.*

** *Onyx* a figura & colore, quem quandoque exhib
latinis dicitur *unguis.* V. *Clar.* MAUCHART *D.
de ungue oculi.*

Species ſunt:

1. *Abscessus superficialis*, ab inflammatione natus, non eſt periculoſus, & cum inflammatione evaneſcit applicatis collyriis antiphlogiſticis.
2. *Abscessus profundus*, qui profunde inter lamellas corneæ hæret, quandoque introrſum rumpitur, & hypopyum facit, quandoque extrorſum aperitur & fiſtulam corneæ relinquit, quandoque pus exſiccatur & in leucoma abit.

Curatio exigit *reſolutionem* abſceſſus, quod ſolutione boracis cum ſaccharo tentatur: ſi reſolutio non ſuccedit, abſceſſus cuſpide cultelli vel acus pro cataracta *aperiri*, & apertus ut ulcus corneæ ſanari debet.

HELCOMA.

Eſt ulcus in externa vel interna corneæ ſuperficie.

Causæ horum ulcerum ſunt prægreſſa inflammatio, vulnus, contuſio, depoſitio varioloſa, venerea, ſcrophuloſa, acrimonia lacrumarum, trichiaſis, pterygium detractum, puſtula vel phlyctæna corneæ.

Noscitur viſu ſuperficiei excavatæ & purulentæ in cornea. *

* Ophthalmiatri veteres ulcera corneæ variis induebant nominibus, quæ memoriam onerant, & omni utilitate deſtituuntur. *Helcydrion* eſt ulcus ſuperficiale, *Coi-*

VARIETATES ſunt:

1. *ULCUS SUPERFICIALE* ſeu levis exco-riatio, quæ totam corneam occupat, quando-que in margine corneæ ſedet, & albedinem in cornea, rubedinem in conjunctiva cauſat.

Curatur ſolutione lapidis divini, vel vitrioli al-bi, * cum albumine ovi ſoluti, & ope pen-cilli corneæ illiniti.

2. *ULCUS SORDIDUM*, quod cruſtoſum vel lardaceum eſt. Si ſolutio boracis vel lapidis divini non juvat, purificetur diluta ſolutione lapidis infernalis vel butyri antimonii, vel ſu-blimati corroſivi.

3. *ULCUS FUNGOSUM*, ex quo papilla car-nea, capitulo aciculæ æqualis, excreſcit. Pa-pilla fungoſa abſcindatur, vel lapide inferna-li tangatur. Demum *Revellentia*, ut veſicatori-a, ſetacea, fonticuli, purgantia omni altero di-e repetita, ſimul adhibeantur.

4. *ULCUS VENEREUM*, exigit mercurial-ia interna & *externe* ſolutionem dilutam ſublima-ti cum melle roſaceo.

5. *ULCUS SCROPHULOSUM*, quod ſcro-phuloſos afficit, exigit antiſcrophuloſa inter-na, & *externe* decoctum corticis.

---

loma eſt ulcus excavatum, *Encauma* vel *epicauma* eſt ulcus ſordidum & ardens. *Botryon* eſt ulcus cum ca-runcula, *argema* eſt ulcus marginale. V. MAUCHART Diſſ. de ulceribus corneæ.

* V. TRECOURT in *Journal de medecine*. T. XXXI.

FISTULA CORNEÆ.

Eſt ulcus ſinuoſum ſeu canalis purulentus in cornea. Hæ fiſtulæ vel *ſurſum* vel *deorſum*, vel *transverſim* vel *recta introrſum* vel *tortuoſe* inter laminas corneæ pergunt. *

Species ſunt:

1. *Fistula penetrans*, quæ utramque corneæ ſuperficiem penetrat, *noſcitur* viſu foraminis corneam penetrantis, ſtylo, effluxu humoris aquei, obſcuratione, corrugatione & ſubſidentia corneæ, atque oculi rubore perpetuo.

   Diu durantes fiſtulæ penetrantes ob corneæ ſubſidentiam & irritationem iridis, myoſim, inflammationem & concretionem iridis cum cornea faciunt.

   Curatio. Primum tentetur purificatio & ſanatio fiſtulæ cum ſolutione vitrioli, vel aloes, vel boracis cum ſaccharo.

   2. Tangatur orificium cum ſolutione cantharidum, lapidis infernalis, vel butyro antimonii.

   3. Cultello pro cataracta dilatetur vel diſcindatur fiſtula.

2. *Fistula non penetrans*, quæ corneæ internam ſuperficiem non tranſit, noſcitur viſu albidi canaliculi, cornea obſcurata at non collapſa.

---

* Mauchart. *Diſſ. de fiſtulis corneæ.*

Curatur mox laudatis medicamentis & fiſtulæ dilatatione cum cultello.

Interne dentur ſpecifica *antacrimonioſa.*

VULNUS CORNEÆ.

Eſt corneæ diſſectio vel punctura.

In utraque ſpecie humor aqueus effluit, & cornea collabitur.

Varietates conſtitui poſſunt:

1. *Vulnus scissum*, ſeu inſtrumento acuto inflictum: facile & intra 48 horas conſanatur ſine remanente cicatrice viſibili, ſi clauſis palpebris oculus deligetur.
2. *Vulnus punctum.* Collabitur oculus at vulnus intra 24 horas utplurimum ſanatur, hinc hæ curationes ſæpe habentur miraculoſæ.
3. *Vulnus contusum*, in ſuppurationem abit, tardius ſanatur, & cicatricem relinquit viſibilem.
4. *Vulnus ruptum* ſeu *rhexis oculi*, hæc ruptura a contuſione externa, vel ab hypopyo aut hydrophthalmia oriri poteſt. Utplurimum omnes effluunt humores & ſequitur immedicabilis cæcitas. V. *Hypopium.*
5. *Vulnus complicatum cum prolapsu iridis* vel *humoris vitrei.* Hæ res vulneris conſolidationem impediunt. V. *Ptoſis iridis & prolapſus humoris vitrei.*

RUTIDOSIS.

Eſt corrugatio & ſubſidentia corneæ.

Causa proxima eſt defectus humoris aquei.

Species ſunt:

1. *Rutidosis a vulnere* vel *punctura corneam penetrante.*
   Curatur ſanato vulnere intra 24 horas.

2. *Rutidosis a fistula corneam penetrante.*
   Curatio palliativa exigit applicationem pelliculæ ex ovæ gallinaceo ad fiſtulam, ne humor aqueus perpetuo exeat. At curatio *radicalis* exigit, ut fiſtula curetur.

3. *Rutidosis a deficiente humore aqueo*, ut a ſenio, febre, magna evacuatione prægreſſa, & magna ſiccitate aeris obſervatur.
   Curatur cardiacis nutrientibus, & externis humectantibus.

4. *Rutidosis cadaverum*, cum humor aqueus exhalet per corneam & novus non ſecernatur, ideo cornea in cadaveribus obſcura & collapſa invenitur. Hoc unum ex certiſſimis ſignis eſt mortis.

PUSTULÆ CORNEÆ.

Sunt veſiculæ pure plenæ in externa corneæ ſuperficie.

Species ſunt:

1. *Pustulæ ab inflammatione corneæ*, quæ quandoque in ſuppurationem abit, & puſtulas in cornea relinquit.

   Curantur aqua vegetominerali vel vitriolata.

2. *Pustulæ a depositione acrimoniæ in corneam*, ut in varioloſis quandoque obſervatur.

   Curantur purgantibus repetitis & collyriis exſiccantibus. V. *Ophthalmia varioloſa.*

PHLYCTÆNÆ CORNEÆ.

Sunt veſiculæ aqua plenæ in externa corneæ ſuperficie.

Species ſunt:

1. *Phlyctænæ simplices*, quæ nec dolent nec in margine rubent, ac facile ſine relicto ulcere evaneſcunt.

   Curatio exigit inciſionem veſiculæ, atque collyria exſiccantia.

2. *Phlyctænæ acrimoniosæ*, quæ dolent, ardent, & marginem inflammatum habent.

   Curatio exigit purgantia, & collyria exſiccantia. *

---

* Phlyctænæ ſimplices poſſunt etiam *hydatides corneæ*, atque phlyctænæ acrimonioſæ ſolent *psydracia corneæ* dici. V. Mauclerc *nomenclatura critica morborum ocularium.* Lond. 1768. p. 19.

CARUNCULÆ CORNEÆ.

Sunt parvæ papillæ molles & rubentes, in externa corneæ ſuperficie. *

Causa proxima eſt humoris lymphatici transſudantis concretio in papillas.

Species ſunt:

1. *Carunculæ simplices*, quæ ſine alio morbo oculari naſcuntur.
   Curantur ſolutione lapidis infernalis vel butyro antimonii.

2. *Carunculæ complicatæ*, quæ ſtaphylomatis, & ulcerum ſuperficiem quandoque obſident.

MORBI BULBI OCULARIS.

ATROPHIA BULBI.

Eſt bulbi ocularis contabeſcentia ſeu diminutio voluminis.

Causa proxima eſt humorum bulbum diſtendentium copia requiſita deficiens.

---

* *Illuſtr.* Richter tales carunculas diſſecuit & illas ſolidas, verasque eſſe excreſcentias vidit. Imo tale tuberculum ter reſectum ter renaſcebatur. V. *obſerv. chirurg.* Faſc. 2. pag. 109. & 115. Veteres dixerunt has carunculas *epanaſtemata* ſeu *rebelliones*.

Species ſunt:

1. *Atrophia ab humoris vitrei parte quadam effluente*, ut in oculi vulneribus, & extractione cataractæ contingit. Hæc ſpecies tempore iterum emendatur.

2. *Atrophia purulenta* ſeu *phthyſis bulbi*, qua humor vitreus ſynchyſi purulenta conſummitur & abſorbetur. Hæc ſpecies eſt incurabilis.

3. *Atrophia acrimonioſa*; a capitis ſcabie exſiccata oriebatur oculi contabeſcentia, quæ fonticulo retro auriculas excitato curabatur.

4. *Atrophia pinguedinis orbitalis*, in hac ſpecie oculi in orbitam retrahuntur adeo ut orbitæ concavæ appareant.

Curatur quandoque irritatione & frictionibus bulbi.

5. *Atrophia ab evacuatione humorum oculi*, ſi per oculum inciſum aut ſponte hypopyo ruptum, omnes ex bulbi cavo effluunt humores, tunc bulbus integer in parvam molem carneam contrahitur. Hoc vitium exigit *oculum artificialem*.

EXOPHTHALMIA.

Eſt bulbi ocularis tanta intumeſcentia ut palpebris tegi nequeat.

Species ſunt:

1. *Exophthalmia inflammatoria*, quæ a validiſſima oculi inflammatione oritur. V. *Chemoſis*.

2. *Exophthalmia pururenta*, quæ a collectione puris intra oculi bulbum naſcitur. V. *Hypopium*.

3. *Exophthalmia sanguinea*, quæ a congeſtione ſanguinis ad oculum oritur, ſic in ſtrangulatis, parturientibus, a cutuſione oculi, a ſuppreſſis menſtruis, & quandoque a niſu nimio rubent atque extra orbitam prominent oculi.

Curatio exigit venæſectionem, purgantia, & *externe* aquam frigidam, vel vegetomineralem.

4. *Exophthalmia metastatica*, quæ ex decubitu materiæ morboſæ, ut febrilis, lacteæ, venereæ, ſcrophuloſæ * generatur.

Curatur ut *chemoſis*, at ſimul dentur antacrimonioſa.

5. *Exophthalmia cancrosa*, eſt oculi degeneratio in fungum cancroſum, qui ſæ-

* Hujusmodi obſervationem habet Gendron, qui in puero bulbum oculi per oedema tunicæ conjunctivæ ex cacochymia ſcrophuloſa ortum, ad ovi gallinacei magnitudinem extenſum vidit. V. Gendron *Traité des maladies des yeux*. A Paris, 1770. T. 2. p. 38.

pe ad pugni magnitudinem ex orbita prominet. V. *Carcinoma oculi.*

Curatur ſola exſtirpatione bulbi.

6. *Exophthalmia hydropica*, quæ a nimia humoris aquei collectione naſcitur. V. *Hydrophthalmia.*

7. *Exophthalmia staphylomatica*, ſtaphyloma ſubinde adeo prominet, ut palpebris tegi nequeat. V. *Staphyloma.*

OPHTHALMOPTOSIS.

Eſt bulbi ocularis prolapſus in genas, canthos, vel ſurſum, vix mutata bulbi magnitudine. *

Species ſunt:

1. *Ophthalmoptosis violenta*, quæ a contuſione vel ictu valido oculi generatur. Subito prolabitur oculi bulbus in genam vel in canthum, & ob elongatum, extenſumque nervum opticum ſubito adeſt cæcitas.

Curatio exigit, ut prolapſus oculi bulbus illico reponatur, & fomentis antiphlogiſticis, ſimulque roborantibus aut aqua frigida foveatur. Sic utplurimum quod mirum eſt, non ſolum oculi integritas, ſed etiam viſus reſtituitur. **

* Græcis vocatur hicce morbus *Ecpieſmus* aut *ptoſis bulbi.*

** Obſervationes plures recenſet *Cl.* Acrel v. ejus *Bemerkungen*, & R. Brokelsby in *medic. obſerv.* T. II.

2. *OPHTHALMOPTOSIS A TUMORE INTRAORBITALI.* Sic exoſtoſis, tophus, abſceſſus, lipoma, atheroma, hygroma, ſcirrhus intra orbitam natus vel induratio pinguedinis orbitalis ſurſum, deorſum vel ad canthos bulbum oculi exprimit.

Si medicamenta mercurialia vel alia reſolventia hos tumores non aufferant, tunc

Curatio exigit, ut tumor incidatur aut ex orbita exſcindatur. *

3. *OPHTHALMOPTOSIS PARALYTICA,* quæ a paralyſi muſculorum rectorum & hinc majori nato robore muſculorum obliquorum bulbi oritur.

Curatur antiparaliticis: ut infuſo florum arnicæ & aliis.

4. *OPHTHALMOPTOSIS STAPHYLOMATICA,* ſtaphyloma quandoque deprimit palpebram inferiorem & genæ incumbit.

Curatio exigit butyrum antimonii. V. *Staphyloma.*

CARCINOMA BULBI.

Eſt bulbi ocularis degeneratio in cancrum.

Causa proxima eſt depoſitio virus cancroſi ad oculi tunicas.

Species ſunt:

1. *CARCINOMA VULGARE.* Oritur *dolor* in ſaniſſimo oculo, dein *vaſa* albugineæ *varico-*

* *Mémoires de l' Academie de Chirurgie.* T. 5.

ſa, ſanguine atro infarcta, carnea quaſi redduntur ac viſus perit. Tandem dolor vehementiſſimus naſcitur, totus bulbus ſcirrhoſus, ac carni rubræ induratæ ſimilis evadit.

2. *Carcinoma fungosum*, incipit hæc ſpecies cum tuberculo fungoſo corneæ vel albugineæ, quod ſenſim totam oculi ſuperſiciem occupat, & bulbus in ingentem fungum dolentem degenerat.

Curatio. In incipiente oculi carcinomate tentari debent: 1. omnia remedia anticancroſa, quæ in cancro palpebrarum indicavimus: 2. carcinoma parvum quandoque ligatura aufferi poteſt, his vero nil juvantibus fiat *exſtirpatio bulbi.*

Exſtirpatio oculi cancroſi.

Indicatio. Carcinoma, quod magnam bulbi partem occupat, hanc operationem exigit. *

Contraindicatio. At ſi carcinoma jam inveteratum, aut a cauſa interna ortum eſt; aut ſi jam orbitæ oſſa carie afficiuntur, tunc hæc operatio ſine fructu inſtituitur.

Instrumenta. *Culter rectus.*

Culter juxta ſuperficiem parum curvatus.

---

* *Mémoires de l' Academie de Chirurgie.* T. V. Heisteri, atque Bilgueri *Bemerkungen.*

Forfex

Forfex cum apicibus obtuſis, & juxta ſuperficiem aliquantum curvatus, Davielliano ſimilis.

Acus curva cum filis ceratis.

Pro deligatione. *Plumaceola multa* & variæ magnitudinis.

Splenia.

Faſcia.

Fungus agaricus & *Alcohol vini.*

Situs pro operatione. Æger ſedeat in ſella altiori verſus lucem, caput ejus ab adjutore retineatur, chirurgus ſtet ante ægrum.

Operatio ipſa:

1. Chirurgus cultro *recto* ad $\frac{1}{4}$ pollicis findat commiſſuram externam palpebrarum. Adjutor bene elevet dein palpebram ſuperiorem.
2. Cultro juxta marginem ſuperiorem orbitæ diſcindatur membrana conjunctiva, quæ bulbum ad palpebram ſuperiorem nectit.
3. Demum bene depreſſa palpebra inferiori etiam juxta inferiorem marginem orbitalem diſcindatur membrana conjunctiva, & ſeparetur bulbus a palpebra inferiori.
4. Tandem ope *acus curvæ* filum ceratum per anteriorem bulbi partem traducatur, ut anſa fili bulbus ex orbita protrahi poſſit.
5. Jam anſa fili bulbo protracto pinguedo & muſculi bulbi tum ſupra tum infra bulbum ab orbita vel cultro vel forfice curvato ſeparentur.

6. Ubique demum ſeparato bulbo nervus opticus vel cultro *curvo* vel forfice *curvato* abſcindatur, & bulbus eximatur.

7. Digito exploret chirurgus an non amplius moleculas induratas in orbita inveniat, has, ſi adſint, exſcindat.

8. Dein plumaceolis bene expleat cavum orbitæ, atque applicet ſplenia & faſciam, quam triduo relinquat.

9. Tandem balſamo arcæi ſuppuratio & incrementum ſubſtantiæ carneæ, ex relicta pinguedine orbitali propullulantis, ad tantam molem promoveatur, ut oculus artificialis commode applicari poſſit. V. *Hypopium* & *applicatio oculi artificialis.*

TETANUS OCULI.

Eſt ſpaſmodica & conſtans contractio muſculorum, qui bulbum movent.

Noscitur ex bulbi immobilitate.

Species ſunt:

1. *Tetanus a vulnere oculi.* Quamprimum ſub operatione cataractæ acus vel culter oculo immerſus eſt, immobilis ſtat bulbus oculi. Id a muſculorum bulbi ſpaſmo fieri videtur. Hic ſpaſmus intra aliquot minuta ſponte remittit.

2. *TETANUS SYMPTOMATICUS*, ſeu *OCULI FIXI*, qui in quibusdam febribus & morbis ſpaſmodicis obſervantur. *

Curatur antiſpaſmodicis & ablato morbo primario.

NYSTAGMUS.

Eſt convulſio ſeu invita agitatio bulbi ocularis.

NOSCITUR ex inſtabilitate ſeu involuntario ac conſtanti motu bulbi ocularis, ab uno in alterum canthum, aut in aliam directionem. Quandoque ſimul hippus adeſt.

SPECIES ſunt:

1. *NYSTAGMUS A TIMORE*, hæc agitatio ſub cataractæ operatione obſervatur, ſopitur perſuaſione & mora.

2. *NYSTAGMUS AB ARENULA IN OCULUM ILLAPSA*, hæc ſpecies curatur exempta arenula.

3. *NYSTAGMUS CATARRHOSUS*, qui gravedinem comitatur:

Curatur ablata gravedine.

4. *NYSTAGMUS A SABURRA PRIMARUM VIARUM*, ut in infantibus verminoſis obſervatur, & ex ſignis ſaburræ cognoſcitur.

Curatur purgantibus & anthelminticis.

---

* *Cel. Prof.* TRNKA *comment. de tetano.* p. 9.

5. *Nystagmus symptomaticus*, qui in morbis convulſivis, hyſtericis, epilepticis & in gravidis quandoque obſervatur. *Curatur* antiſpaſmodicis & ablato morbo primario.

VULNUS SCLEROTICÆ.

Eſt inciſio, vel punctura in albugineam & ſcleroticam oculi.

Species ſunt:

1. *Vulnus scissum*, illico humor vitreus exit, ſed clauſis palpebris & utroque oculo ſpleniis atque faſcia ligatis intra paucos dies conſolidatur vulnus.
2. *Vulnus punctum*, ut in depreſſione cataractæ fit. Raro exit humor vitreus, & facilius adhuc ſanatur.
3. *Vulnus complicatum cum prolapsu humoris vitrei*, vulneris conſolidatio tali prolapſu retardatur. V. *Prolapſus humoris vitrei.*

DEFECTUS OCULI.

Eſt oculi unius vel utriusque abſentia in orbita.

Species ſunt:

1. *Defectus nativus.* In hoc caſu, quantum ex relatione obſervatorum patet, plerumque ambo deficiunt oculi. *

---

* *Act. Er. Lipſ. anni* 1726. *Menſ. Mart. &* Schenkii *Lib.* 1. *obſervat.* 278.

2. *Defectus adventitius*, qui poſt partum ab oculo exciſo, ſclopeto vel hypopyo deſtructo, oritur. In hoc caſu homo quandoque uno, interdum autem utroque oculo ſpoliatus eſt.

Hoc vitium *oculo artificiali* aliquantum celari poteſt. V. *Applicatio oculi artificialis.*

OCULUS SUPERNUMERARIUS.

Eſt numeri conſueti exceſſus in oculis.

Nati fuere homines tribus quippe vel etiam quatuor oculis inſtructi.

Prodigioſa quoque oculi conſtitutio eſt, quando pectori infixus, vel in ipſis humeris ſitus eſt oculus. *

MORBI IRIDIS.

MYDRIASIS.

Eſt nimia pupillæ dilatatio cum vel ſine viſus læſione. **

Noscitur hic morbus, ſi pupilla etiam ad lucem, eandem ſemper latitudinem habere obſervatur.

* De utroque vitio Schenck l. c. obſervationes habet.

** Mauchart *Diſſ. de mydriaſi.*

Species mydriaſeos ſunt:

1. *Mydriasis amaurotica*, quæ utplurimum at non ſemper amauroſim comitari ſolet. Rariſſime ſine amauroſeos curatione curatur.

2. *Mydriasis hydrocephalica*, quæ ab hydrope cerebri originem habet, eſt ut morbus a quo oritur, utplurimum incurabilis.

3. *Mydriasis verminosa*, quæ a ſaburra verminoſa primarum viarum naſcitur.

Curatur anthelminticis & purgantibus.

4. *Mydriasis a synechia*, ſeu a concretione uveæ cum capſula lentis. V. *Synechia.*

5. *Mydriasis paralytica*, ſeu a paralyſi fibrarum orbicularium iridis, obſervatur in morbis paralyticis, & ab applicatis ad oculum narcoticis.

Curatur arnica, electricitate & aliis antiparalyticis.

6. *Mydriasis spasmodica*, ſeu a ſpaſmo fibrarum rectarum iridis, ut in morbis ſpaſmodicis, & hyſtericis quandoque obſervatur.

Curatio exigit nervina & antiſpaſmodica.

7. *Mydriasis ab atonia iridis*, frequentiſſima cauſa eſt *cataracta magna*, pu-

pillam ſub tranſitu in cataractæ extractione valde extendens. Evaneſcit aliquot poſt operationem dies. Pupilla demum *diu* dilatata ex *conſuetudine* dilatata manet.

Curatur anguſtatione pupillæ, tractando corpora minuta & lucida, atque contemplatione attenta corporum diſſitorum.

Curatio palliativa mydriaſeos exigit, ut æger de die aut in loco lucido ope nigræ chartulæ, foramine ſatis magno inſtructo, videat.

8. *Mydriasis naturalis*, hæc in ſomno, in loco obſcuro & in contemplatione objecti oculo vicini obſervatur.

MYOSIS.

Eſt nimia pupillæ contractio ſeu anguſtia. *

Noscitur pupillæ diametro, quæ naturali minor, etiam in loco obſcuro manet.

Facit viſum debilem, hemeralopiam & alios morbos.

Species ſunt:

1. *Myosis spasmodica*, quæ a ſpaſmo fibrarum orbicularium iridis in hyſtericis, hypochondriacis & ſpaſmodicis morbis quandoque obſervatur.

Curatio exigit antiſpaſmodica.

2. *Myosis paralytica*, quæ a paralyſi fibrarum rectarum iridis in morbis paralyticis quandoque contingere poteſt.

Curatur antiparalyticis.

---

* Mauchart *Diſſ. de pupillæ phthiſi & ſinizeſi.*

3. *MYOSIS INFLAMMATORIA*, quæ ab inflammatione iridis vel uveæ oritur, ut in ophthalmia interna, hypopio, oculi vulnere videre eſt.

Curatur antiphlogiſticis, & venæſectione. V. *Ophthalmia interna.*

4. *MYOSIS A CONSUETUDINALI CONTRACTIONE PUPILLÆ.* Huc ergo pertinet *MYOSIS A LUCIS* aut *OBJECTORUM MINUTISSIMORUM* aut *VALDE DISSITORUM DIUTURNA CONTEMPLATIONE*; hæc ſpecies ſcribis, lectoribus, artificibus minuta tractantibus, microſcopiis laborantibus, & aliis eſt familiaris. *

Curatur abſtinentia longa a contemplatione objectorum, ſeu evitatione cauſæ, mora in loco obſcuro, & intuitu parietis viridis.

5. *MYOSIS A DEFECTU HUMORIS AQUEI*, ut in rhytidoſi obſervatur.

Curatur reſtituto humore aqueo. V. *Rhytidoſis.*

6. *MYOSIS NATIVA*, quæ cum homine naſcitur. *Exigit* inciſionem transverſalem iridis. V. *Synizeſis.*

---

* Hinc patet cur lectura ad lampadem cum umbraculo, lucem colligente, & ad chartam repercutiente myoſim cum tempore inducat. Umbraculum viride ſimplex, hinc lampadibus cum umbraculo clauſo, ut in SEGNERIANO lampade eſt, præferri debet.

7. *Myosis naturalis*, eſt pupillæ coarctatio a lumine, ab intuitu objectorum diſſitorum. Hæ pupillæ arctationes ſunt temporariæ & brevi iterum ſponte evaneſcunt.

SYNIZESIS.

Eſt plenaria pupillæ coarctatio vel concretio. *

Noscitur pupillæ abſentia. Ejusmodi miſeri nil, niſi lumen a tenebris, ut ſani palpebris clauſis, diſcernere poſſunt.

Species ſunt:

1. *Synizesis nativa*, ſeu quæ connata eſt. In hoc caſu per errorem primæ conformationis pupilla non perforata eſt. Rariſſime membrana pupillaris non evanida hujus morbi cauſa invenitur. **

Curatio exigit, ut *artificialis* fiat *pupilla*. Hinc faciat chirurgus inciſionem transverſalem corneæ; demum pupillæ locus naturalis transverſim, aliquanto plus verſus naſum cultro la fayano incidatur. ***

2. *Synizesis accidentalis*, ſeu pupillæ concretio quæ a prægreſſa inflammatio-

* Weissenborn *Diſſert. de pupilla nimis coarctata vel clauſa. Erfordiæ* 1773. & Janin *l. c.* p. 169.

** *Clar.* Wrisberg *Diſſert. de membrana pupillari foetus in nov. Comment. Goetting.* T. II. p. 169.

*** *Abhandlungen der ſchwediſchen Akademie.* 34. *Band,* & Richters *Chirurg. Biblioteck.* 4. *Band* 1. *St. S.* 192.

ne, vel exulceratione uveæ aut iridis, vel humoris aquei aut vitrei defectu oritur. Hæc ſpecies frequenter poſt cataractæ depreſſionem contingit, atque inciſionem novæ pupillæ exigit, ut mox diximus.

3. *Synizesis a secessu iridis a cornea.* A quacunque cauſa ſeceſſus fiat, certus ſemper eſt effectus, ut pupillæ diameter ſe contrahat, fibræ enim longitudinales a corneæ circulo ſeparatæ fibris orbicularibus reſiſtere nequeunt, hinc hæ pupillam vel ex parte vel penitus contrahunt. *

Curatio. Si æger per pupillam præternaturalem videre poteſt, non eſt neceſſarium, ut nova incidatur pupilla.

4. *Synizesis complicata*, ſeu quæ cum amauroſi, cataracta, ſynechia vel alio morbo oculari complicatur. Amauroſis *noſcitur*, quando æger lucem a tenebris diſtinguere nequit, hanc etiam non ſolum clauſa pupilla, ſed etiam clauſis palpebris diſtinguere poſſumus. Cæteras complicationes noſcimus viſu.

Curatio ſynizeſeos complicatæ exigit, ut prius morbus complicans curetur.

5. *Synizesis spuria*, eſt pupillæ obturatio a gleba mucoſa, purulenta, vel grumo

* *Cel.* Richter *Chirurg. Biblioteck.* 2. B. 1. St. 132 S. & Janin l. c. p. 249.

ſanguinis. Si hæc corpora, pupillam obturantia, medicamentis reſolvi non poſſint, exigit

Curatio, ut cornea incidatur, & ut cochleari DAVIELLIANO corpora hæc eximantur.

SYNECHIA.

Eſt iridis concretio cum cornea vel cum capſula lentis cryſtallinæ. *

CAUSA PROXIMA eſt contactus & inflammatio harum partium.

CAUSÆ REMOTÆ ſunt collapſus corneæ, prolapſus iridis, intumeſcentia cataractæ, hypopyum, formatio nativa.

SPECIES ſunt:

1. *SYNECHIA ANTERIOR TOTALIS* ſeu concretio iridis cum cornea. Hæc ſpecies viſu noſcitur. Pupilla in hac ſpecie vel dilatata, vel coarctata, vel concreta invenitur. Inde variæ viſus læſiones.

Curatio radicalis ſynechiæ *totalis* exigit, ut cultro & ſtylo ſeparetur iris a cornea: at hæc ſeparatio in concretione antiqua, ubi cornea cum iride jam unum conſtituit continuum ſeu individuum, temeraria & periculo pleniſſima eſſet. In malo vero recenti ſeparatio ſequenti modo tentari ſaltem poſſet. 1. Cauta fiat inciſio in corneam, dein ſtilo cum latiuſculo fine

---

* MAUCHART *Diſſ. de Synechia.*

intra corneam & itidem preſſo tentetur ſeparatio. 2. Si hæc non facile fieri poſſit, illico ab operatione deſinendum eſt.

2. *SYNECHIA ANTERIOR PARTIALIS*, quando ſolummodo pars quædam iridis corneæ accreta eſt. Hæc concretio in uno vel pluribus locis obſervatur. Hinc pupilla varie defigurata, & ejus motus inordinatus invenitur. *

Curatio exigit, ut Chirurgus immergat in corneam, loco pro extractione conſueto, parvum cultellum cataractarium, ** juxta punctum adhæſionis iridis in cameram anteriorem oculi, dein obtuſo cultelli dorſo ab inferiori cohæſionis parte iridem adhærentem ſurſum premat. Sic ſæpe pars adhærens ſeparata reſilit ſua ſponte verſus pupillam.

3. *SYNECHIA ANTERIOR COMPOSITA*, quando non ſolum iris tota, ſed ſimul prolapſa capſula lentis corneæ accreſcit, adeo ut tota camera anterior & poſterior deſit. Temerarium eſſet hanc concretionem ſolvere velle.

4. *SYNECHIA POSTERIOR TOTALIS*, ſeu concretio totius uveæ cum proceſſibus ciliaribus, & capſula lentis cryſtallinæ.

---

* JANIN l. c. p.

** Hujus maxima latitudo lineam unam & mediam habeat, & dorſum ſit obtuſum, atque totus cultellus cataractario cultro *Cl.* RICHTER ſit ſimillimus.

5. *SYNECHIA POSTERIOR PARTIALIS*, quando ſolum pars quædam uveæ capſulæ lentis accreta eſt. Quæ accretio ſimplex, duplex vel triplex, ſeu in pluribus locis eſſe poteſt.

Curatio exigit, ut inciſa cornea ope ſtili in apice aliquantum inflexi detrudatur uvea a capſula lentis.

6. *SYNECHIA COMPLICATA* cum *AMAUROSI*, *CATARACTA*, *MYDRIASI*, *MYOSI*, *SYNIZESI*. Hæ complicationes exigunt præter ſeparationem iridis ſuas proprias medelas.

PTOSIS IRIDIS.

Eſt iridis prolapſus per vulnus vel ulcus corneæ. *

Noſcitur ex tuberculo nigricante, quod ex cornea aliquantum collapſa ſub varia figura prominet. **

* Authores omnes *Cel.* RICHTERO antiquiores ſolent iridis ptoſes ſtaphyloma vocare, hinc de his ſtaphylomatibus. V. GUNZ *Diſſ. de ſtaphylomate*, & MAUCHART *Diſſ. de ſtaphylomate*.

** Ipſe iridis prolapſus pro diverſa magnitudine ſua varia quoque nomina ab ophthalmiatris græcis accepit.

Myocephalum, ſi prolapſa particula magnitudinem, colorem & figuram capitis muſcæ refert.

Staphyloma iridis, ſi prominentia paullulum major & uvæ acino quaſi ſimilis videatur.

Species ptoſis iridis ſunt:

1. *Ptosis recens a vulnere lato corneæ*, ut ſub vel poſt extractionem cataractæ contingit.

Curatio exigit, ut iris cochleari parvo per vulnus, aut palpebris clauſis digito confricta reponatur, aut ſolutione aluminis tangatur. Vulneris dilatatio ſine iridis læſione fieri nequit.

2. *Ptosis inveterata*, in qua iris prolapſa incarcerata & vulneri vel ulceri jam accreta & per attactum aeris calloſa indurataye eſt. Hæc ſpecies nulla arte digitis reponi poteſt.

Curatio exigit, ut tuberculum prominens butyro antimonii ſemel omni altero vel tertio die tangatur.

Abſciſſio & *ligatura* prolapſæ iridis utplurimum ſucceſſu carent.

VULNUS IRIDIS.

Eſt iridis ſolutio ope inſtrumenti.

Species ſunt:

1. *Vulnus transversale*, ut ſub cataractæ operatione quandoque contingit, non

---

Melon, ſi ad tantam denique magnitudinem increvit, ut extra palpebras promineat.

Hilon ſeu *clavus* ſi prominentia calloſa & indurata eſt, atque caput clavi refert.

conſolidatur amplius, ſed relinquit pupillam præternaturalem.

2. *Vulnus longitudinale.* Hoc arte, ut in operatione ſynizeſios, vel caſu factum, intra 14 dies iterum concreſcit.

PUPILLÆ DEFORMITAS.

t pupillæ diametri rotundæ mutatio in figuram aliam.

uc ergo pertinet:

1. *Pupilla ovalis.* Hoc vitium ſemper nativum & incurabile eſt. Nil viſui obeſt.
2. *Pupilla inferius ampliata,* eſt frequens ſymptoma, quod extractionem cataractæ ob pupillæ violentiorem extenſionem ſequi ſolet, evaneſcit intra aliquot dies.
3. *Pupilla rupta* vel *fissa*, etiam hoc vitium cataractæ extractionem, iridis vulnera & inflammationes quandoque ſequitur. Eſt vitium incurabile.

UPILLA PRÆTERNATURALIS.

ſt foramen vel fiſſura præternaturalis in iride.

ᴘecies ſunt:

1. *Pupilla præternaturalis a vulnere transversali iridis,* ut mox de iridis vulneribus diximus.
2. *Pupilla præternaturalis a secessu iridis a cornea,* quandoque in uno, quandoque in pluribus locis

margo iridis a circulo corneæ ſecedit. Hæ *pupillæ marginales* a lapſu in caput, ab oculi contuſione, ab hypopyo & ab inflammatione iridis obſervatæ fuerunt.

Quandoque ſine omni cauſa antecedente, nulloque ſymptomate ſubſequenti præter pupillæ ſynizeſim vel ſaltem myoſim iris corneam in uno vel pluribus locis, ægro inſcio, relinquit. Hi pupillæ ſeceſſus ſunt incurabiles.

HIPPUS.

Eſt pupillæ alterna & continuo repetita dilatatio & conſtrictio. *

Causa proxima eſt alterna convulſio fibrarum orbicularium & radiatarum iridis.

Oritur ab iisdem cauſis, & curatur iisdem medicamentis ac bulbi convulſio, hinc vide *Nyſtagmus.*

IMMOBILITAS PUPILLÆ.

Eſt pupillæ morbus, quo hæc nec ad lucem contrahitur, nec ad tenebras dilatatur, ſed ſemper eandem diametrum ſervat.

Causa proxima paralyſis fibrarum orbicularium & radiatarum eſſe videtur.

Species ſunt:

1. *Immobilitas amaurotica*, quæ amauroſim comitatur. Quandoque ſine amau-

* Mauchart *Diſſ. de ulceribus corneæ.*

roſeos

roſeos curatione uſu arnicæ & aliorum remediorum antiparalyticorum curatur.

2. *Immobilitas a pupillæ morbo*, ut ſynechia, myoſi, ſynizeſi.

Curatur ablato morbo, qui immobilitatis cauſa eſt.

3. *Immobilitas idiopathica*, hujus cauſæ utplurimum latent.

Curatio tentetur infuſo arnicæ, electricitate, purgantibus, extracto pulſatillæ nigricantis, liquore anodyno minerali, ſupercilio infricato.

MORBI HUMORIS AQUEI.

HYDROPHTHALMIA.

Eſt bulbi ocularis intumeſcentia ob nimiam humoris aquei vel vitrei collectionem. *

Causa proxima eſt humoris aquei nimium incrementum vel in cameris oculi, vel in cellulis humoris vitrei.

Causæ remotæ utplurimum latent. *Exitus* morbi utplurimum funeſtus eſt, cœcitatem relinquens.

Species ſunt:

1. *Hydrophthalmia ab incremento humoris aquei.* Signa ſunt ſuc-

* Mauchart *Diſſ. de hydrophthalmia*, & *Diſſ. de paracentheſi oculi.*

ceſſivum bulbi exorbitantis augmentum, cornea plus ſolito prominens, iris profundior, pupilla immobilis, viſus ab initio debilior, ſenſim nullus, ophthalmodinia ſenſim auctior, hemicrania & inſomnium.

Curatio. Incipiens morbus exigit venæſectionem, purgantia, veſicatoria, mercurialia, extractum pulſatillæ nigricantis, ſetaceum, fonticulos.

Externe fomentum diſcutiens applicetur, ut in hypopyo.

Si medicamenta nil juvent, fiat *inciſio corneæ*, ut in extractione cataractæ.

2. *HYDROPHTHALMIA AB INCREMENTO HUMORIS VITREI.* Noſcitur ex notabili bulbi exorbitantis augmento, & duritie, cornea vix magis prominente, iride convexa, ad corneam magis approximata, pupilla dilatata, ophthalmodinia obtuſa, ſenſim vehementi, ſtrabiſmo, viſu abolito, & hemicrania.

Curatio eadem ac in priori ſpecie adhibeatur; ſi malum medicamentis non obtemperat, *incidatur cornea*, eximatur lens cryſtallina & portio humoris vitrei.

3. *HYDROPHTHALMIA COMPOSITA*, ubi humor aqueus, & vitreus ſimul increſcunt.

Curatio eſt ut in ſpecie ſecunda. Si malum huic methodo non cedit, fiat *oculi exſtirpatio*, ne

malum ex morboſo in ſanum tranſeat oculum. *

HYPOPYUM.

t puris collectio in humore aqueo oculi. **

DES puris vel in anteriori vel in poſteriori vel in utraque oculi camera eſt.

USA PROXIMA eſt prægreſſa inflammatio iridis, vel uveæ, abſceſſus vel ulcus corneæ, depoſitio materiæ purulentæ, vel puriformis in oculi cameras.

OSCITUR hypopyum inſpectione oculi. Apparet liquidum album & mobile, mediam vel integram oculi cameram implens, iridem totam vel mediam abſcondens, & viſum pro parte vel integre obſcurans.

ITUS. Pus effuſum quandoque integre iterum abſorbetur & per corneæ poros *tranſudat*. Quandoque adeo in oculi cameris coacervatur, ut corneam *rumpat* & exedat cum humorum prolapſu.

Quandoque pars tenaciſſima puris membranæ craſſæ adinſtar capſulæ cryſtallinæ accreſcit &

---

* *Journal de Médecine*. T. 45. & CHESTON *pathological inquiris and obſervations.*

** MAUCHART *Diſſ. de hypopyo* & *Diſſ. de empyeſi oculi.* JANIN l. c. p. 355. & RICHTERS *Abhandl. von der Auszіehung des grauen Staars.* 1773. *in* Capite *de hypopyo*. S. 172.

ſic dictam *cataractam purulentam* format. Quandoque conus purulentus pupillæ adhæret, & viſum tolit. V. *Synizeſim ſpuriam.*

Species hypopyi ſunt:

1. *Hypopyum inflammatorium*, quod a prægreſſa inflammatione interna oculi oritur. Eſt peſſima ſpecies, quæ raro ſine relicto alio oculi morbo abit.

   Curatio exigit, vel *diſſipationem* puris, vel, ſi hæc non ſuccedit, *inciſionem* corneæ, ut pus exire poſſit.

   Diſſipatio tentatur venæſectione, purgantibus & fomentis diſcutientibus, ut decocto malvæ cum aliquot guttulis ſpiritus vini camphorati, vel infuſo herbarum cephalicarum, aut cataplaſmate pomaceo.

   Inciſio corneæ fiat ut in extractione cataractæ. Vulnus per aliquot dies apertum ſervetur, pus enim non ſimul ſed ob craſſitiem ſenſim & guttatim ex corneæ vulnere exit.

2. *Hypopyum metastaticum*, quod ſubito & ſine prægreſſa inflammatione oculi oritur, at ruborem oculi & febrem inducit. Hæc ſpecies multo facilius quam prior dictis medicamentis diſſipatur & per corneam transſudat.

3. *Hypopyum periodicum*, quod certo tempore aliquoties recurrit.

Curatio exigit purgantia, revellentia & corticem peruvianum. *

4. *HYPOPYUM VENEREUM*, quod a gonorrhæa ſuppreſſà oritur.

Curatur ut chemoſis gonorrhoica. V. *Ophthalmia gonorrhoica.*

5. *HYPOPYUM COMPLICATUM CUM DESTRUCTIONE* omnium humorum & membranarum internarum, qua omnes partes in pus convertuntur. Hoc malum *exigit*, ut cornea incidatur, humores evacuentur, & ut oculus artificialis applicetur.

Applicatio oculi artificialis.

laminæ vitreæ vel aureæ, quæ picturam oculi gerit, applicatio intra palpebras, ut deformitas oculi deſtructi occultetur. **

DICATIO.

1. Si oculi bulbus ob carcinoma exciſus, vel globo ſclopetario deſtructus eſt.
2. Si humores fere omnes per vulnus corneæ vel ſcleroticæ effuſi ſunt.
3. Si cornea penitus opaca, & deformis eſt, ut in inveterato ſtaphylomate.

JANIN l. c. p. 360.

** *Cel.* MAUCHART *Diſſ. de oculo artificiali.* Præter hanc omnes reliquæ *Cel.* MAUCHARTI diſſertationes ophthalmicæ, in hoc opere citatæ, in collectione diſſ. chirurgicar. *Illuſtr.* HALLERI continentur.

4. Si bulbus ob hypopium vel ob hydrophtha
miam, aut ſynchyſim evacuari debuit.

CONTRAINDICATIO. Præſente adhuc *inflammatione* v
exulceratione oculi corrupti non tentetur i
poſitio, ſed ſopiatur inflammatio & curetur pri
exulceratio.

CONDITIO OCULI ARTIFICIALIS. *Materia* horum ocu
rum eſt vel ex vitro vel ex auro, uterque deb
eſſe encauſto (*emaille*) obductus & pictus.

Figura oculi artificialis reſpondea magnitudi
convexitati, & iridis colori naturali oc
alterius adhuc ſani.

Oculi *vitrei* pro levi prætio ſunt, at fac
franguntur, non adeo nitide pingi,
lima, ſi non quadrant, facile orbitæ adap
ri poſſunt.

Oculi *aurei* pro magno habentur pretio, at
franguntur, ſunt nitidius picti, poſſunt
ma ad oculum facillime adaptari.

APPLICATIO.

1. Elevetur palpebra ſuperior, & ſub hanc o
lus artificialis, ſaliva humectatus, quant
fieri poteſt, introponatur.

2. Dein palpebra inferior aliquantum extror
trahatur, & oculus artificialis deorſum
veatur ſub palpebram inferiorem, & in
no ſitu firmetur.

Si vero remanens bulbi portio nimis eſt exig
tunc cavum oculi artificialis cera liqu

ĉta adeo impleri debet, ut cum remanente bulbi portione firmum habeat ſitum; in hoc autem caſu oculus artificialis immobilis eſt.

HYPOÆMA.

Eſt cruoris effuſio in cameras oculi.

Noscitur inſpectione oculi, in cujus cameris humor rubicundus apparet; ſi ſanguis effuſus valde opacus eſt, ſimul cæcitatem infert.

Species ſunt:

1. *Hypoæma violentum*, quod ab oculi contuſione, aut punctura iridis, ut in depreſſione cataractæ quandoque contingit, obſervatur.

   Curatio exigit venæſectionem, revellentia, fomenta diſcutientia. Si vero trombus ſanguineus pupillam obſtruat, qui nullo modo reſolvi poſſit, tunc fiat inciſio corneæ, & eximatur trombus. V. *Synizeſis ſpuria.*

2. *Hypoæma spontaneum*, quod a tuſſi vehementi, vomitu, aut niſu parturiendi oritur.

   Curatur ut ſpecies prior.

HYPOGALA.

Eſt lactis vel alius humoris albi collectio in cameris oculi.

Noscitur inſpectione oculi, in cujus cameris liquidum album, mobile apparet.

Species ſunt:

1. *Hypogala a depositione lactis*, ut in puerperis quandoque obſervatur.
   Curatio exigit revellentia & fomentum diſcutiens.
2. *Hypogala a depressione cataractæ lacteæ*. Inciſa per acum cataractæ capſula, ab effluente humore albo illico albeſcit humor aqueus.
   Curatio eſt eadem ut in priori ſpecie, quandoque ſua ſponte evaneſcit.

TURBIDITAS HUMORIS AQUEI.

Eſt impelluciditas humoris aquei in oculo, qui turbidus apparet.

Species ſunt:

1. *Turbiditas mucosa*, quæ a mucoſitate humoris aquei naſcitur.
   Curatur fomentis diſcutientibus.
2. *Turbiditas a fistula corneæ*, ſeu ulcere in interna corneæ ſuperficie, ex quo una alterave guttula puris in humorem aqueum effluit.
   Curatur ablata fiſtſtula. V. *Fiſtula corneæ*.
3. *Turbiditas a lente crystallina in humore aqueo deliquescente*, ut ſæpe aliquo poſt cataractæ depreſſionem tempore aut quando cataractæ caſeoſæ particula poſt extractionem remanet, obſervatur.

Curatur mora, revellentibus & fomentis diſcutientibus.

Si turbiditas medicamentis non cedit, emittatur turbidus humor aqueus per inciſionem corneæ.

EFFLUVIUM HUMORIS AQUEI.

Eſt humoris aquei profluvium e vulnere vel fiſtula corneæ.

SPECIES ſunt:

1. *EFFLUVIUM EX VULNERE CORNEÆ.* Hoc effluvium poſt cataractæ extractionem 2 vel 3 dies durat, poſt hos enim dies, ob vulnus corneæ conſolidatum, ceſſat; ſi vero ultra tertium diem aquei humoris profluvium durat, ſignum eſt, ob iridis vel humoris vitrei prolapſum vulnus in cornea non eſſe conſolidatum.

   Curatio exigit ſanationem vulneris, ſic humor aqueus iterum reſtituitur. Si vero prolapſus ſanationem vulneris impedit, tunc V. *Prolapſus iridis & prolapſus humoris vitrei.*

2. *EFFLUVIUM EX FISTULA CORNEÆ.* Impeditur effluxus palliative ſi pellicula ad fiſtulam agglutinetur, at cura radicalis exigit curationem fiſtulæ. V. *Fiſtula corneæ.*

MORBI LENTIS CRYSTALLINÆ.

CATARACTA.

Eſt cœcitas, quæ ab opacitate lentis cryſtallinæ vel ejus capſulæ provenit. *

Multiplex habetur cataractæ *diviſio* reſpectu *ſedis*, *conſiſtentiæ*, *coloris*, *magnitudinis*, *maturitatis*, *temporis*, quo aggreditur, *complicationis* & *ortus*.

Reſpectu *ſedis*, quam opacitas tenet, dividitur cataractæ

1. In *cryſtallinam*, ſi ipſa lens cryſtallina eſt opaca. Eſt frequentiſſima cataractæ ſpecies.
2. In *capſularem*, quam alii *membranaceam* vocant, ſi capſulæ cryſtallinæ lamina *anterior* vel *poſterior* vel *utraque* opaca redditur.
3. In *cryſtallino-capſularem*, ſi lens cryſtallina & ejus capſula ſimul opacantur.

---

* Veteribus latinis cataracta dicebatur *ſuffuſio*, græcis autem *hypochyma*, & *hypochyſis*. V. *Cel.* HENKEL *Diſſ. de cataracta cryſtallina vera.* GUNZII *Diſſ. de ſuffuſionis natura & ſede*, & ALBINI *Diſſ. de cataracta.*

Non datur ante operationem *certum ſignum* cataractæ cryſtallinæ, capſularis, & cryſtallino-capſularis.

4. In *partialem*, ſi capſulæ vel lentis non ambitus integer ſed medietas, vel dimidium vel ſolus margo, vel punctum ſolummodo opacitate laborat, hinc non plenariam cœcitatem, ſed varia alia viſus vitia producit. V. *Hemeralopia* & *nyctalopia*.

5. In *ſpuriam*, quæ pus eſt, quod membranæ adinſtar, anteriori ſuperficiei lentis cryſtallinæ adhæret & ex prægreſſo hypopyo naſcitur. V. *Hypopium*.

Reſpectu *conſiſtentiæ* dividimus cataractam:

1. In *duram*, quando lens cryſtallina ſoliditatem habet, hæc naturali utplurimum minor eſt, raro major, rariſſime *cornea* vel *lapidea* eſt.

Signa cataractæ duræ ſunt pupilla coarctata vix mobilis, & cataracta multum ab uvea diſtans.

2. In *mollem*, quam alii *caſeoſam* dicunt, quando lens cryſtallina caſei mollitiem habet & friabilis eſt.

3. In *fluidam*, ſeu *lacteam*, ſi lens cryſtallina in humorem album, cremori lactis vel puri ſimilem, mutata invenitur.

Signa cataractæ mollis & fluidæ ſunt 1. pupillæ amplitudo & tarda ad lucem admotam contractio, ſed ſigna amauroſeos abeſſe

debent. 2. Cataractæ tanta magnitudo ut margo lentis vix etiam dilatata pupilla videri poſſit. 3. Cataracta uveæ vicina apparet, at ſigna cataractæ cum uvea concretæ abeſſe debent.

4. In *Fluido-duram* quando ambitus lentis cryſtallinæ lacteus vel caſeoſus & medietas lentis dura eſt. Huc referri poteſt *cataracta* ex *humore* MARGAGNIANO apaco cum vel ſine lente opaca.

5. In *cyſticam*, quando tota capſula lentis ſub extractione cataractæ fluido vacua, opaca vel pellucida, hydatidis adinſtar ſponte ex oculo elabitur.

Reſpectu *coloris* cataractæ diviſionem habemus:

1. In *gryſeam*, quæ margaritæ colorem refert.
2. — *albam*, quæ lacteum habet colorem; ſæpe at non ſemper hæc cataracta mollis eſt. Quando albedo ſplendet, tunc cataracta *argyras* ſeu *argentea* dicitur.
3. — *glaucam*, glaucus color cataractæ eſt rariſſimus.
4. — *flavam*, flavus cataractæ color non eſt frequens.
5. — *nigram*, quæ *ferri nigri* colorem refert. Diſtinguitur ab amauroſi 1. quod in cataracta nigra pupillæ nigredo ſit turbida, albicans, non pura ut in amauroſi. 2. Pupula ſeu imago intuentis in cataracta nigra non ut in amauroſi videri poteſt. 3. Amau-

roticus lucem a tenebris diſtinguere non poteſt, quod vero in cataracta nigra, niſi cum amauroſi ſit complicata, poſſibile eſt. *

6. — *variegatam*, quæ plures colores, &

7. — *ſtriatam*, quæ ſtellæ adinſtar ſtrias exhibet; hinc etiam quibusdam *ſtellata* audit. Color nil certi de duritie aut mollitie cataractæ docet. Imo cataracta extracta quandoque alium colorem habet, quam qualem in oculo ante operationem exhibeit.

Reſpectu *magnitudinis*, quam cataracta habet, dividitur:

1. In *magnam*, quæ naturalem lentis magnitudinem excedit, ut in cataractis mollibus.

2. — *parvam*, quæ naturali lentis magnitudine minor eſt, ut in cataractis duris utplurimum at non ſemper obſervari ſolet.

Signa magnæ ac parvæ cataractæ ſunt ut mollis & duræ. **

Reſpectu *maturitatis* habetur cataractæ diviſio:

1. In *maturam*, ſeu *perfectam*, in qua lens perfecte opaca eſt.

Noſcitur, ſi æger adeo viſu privatus eſt, ut nil præter lucem & tenebras diſtinguere poſſit.

---

* JANIN l. c. p. 243. duas de cataracta nigra obſervationes recenſet.

** *Journal de Médecine.* T. 45. & *Illuſtr.* RICHTERS *Chir. Bibliothek.* 4. B. 2. St. 253. S.

2. In *immaturam* ſeu *imperfectam*, in qua lens nondum perfecte eſt opacata. Noſcitur quod cataracta laborans aliquantum adhuc colores & objecta percipere poſſit. Dantur cataractæ, quæ nunquam maturæ fiunt, dantur, quæ intra aliquot ſeptimanas jam matureſcunt.

Reſpectu *temporis*, quo aggreditur cataracta dividi ſolet:

1. In *recentem*, quæ nondum diu duravit.
2. — *inveteratam*, quæ jam multos per annos durat.
3. — *ſecundariam*, quæ poſt cataractæ depreſſionem vel extractionem iterum in eodem oculo naſcitur. Cataracta ſecundaria poſt *depreſſionem* a reaſcenſu lentis cryſtallinæ, cataracta ſecundaria poſt *extractionem* nata, ab obſcuratione laminæ poſterioris capſulæ cryſtallinæ remanentis oritur. *

Reſpectu *complicationis* neceſſaria eſt cataractæ diviſio:

1. In *ſimplicem*, quæ ſine alio corporis aut oculi vitio adeſt.
2. — *complicatam* cum *amauroſi*. Signa ſunt ſi cataracta laborans pupillam habeat dilatatam & immobilem atque lucem a tenebris diſtinguere nequeat. Si prægreſſus eſt viſus frequens radiorum lucidorum, ſi ſi-

* *Cel.* RICHTER *Faſc. II. obſ. chirurg. p.* 88.

gna cataractæ adhærentis vel nimis magnæ abſint.

3. In *complicatam* cum *diſſolutione* humoris vitrei, aut cum *opacitate* hujus humoris. Nec ſynchyſis nec glaucoma ante operationem noſci poſſunt.

4. — *complicatam* cum *pupilla coarctata.* Hoc vitium oculi intuitu noſcitur.

5. — *complicatam* cum *adhæſione*; *cataracta* dicitur *adhærens*, ſi lens cryſtallina vel cum *uvea* vel cum *humore vitreo*, vel cum *propria capſula*, concreta eſt.

Signa *cataractæ adhærentis* cum *uvea* ſunt 1 ſi opacitas proxime pupillam eſt, 2 ſi æger nullum lucis ſenſum ſuperſtitem habet, 3 ſi pupilla obliqua vel tota immobilis vel inæquali modo parum mobilis eſt.

Signa *cataractæ cum propria capſula cohærentis* ſunt, ſi diſciſſa capſula & dilatata etiam pupilla, non tamen nec ſponte, nec ad fortiorem oculi preſſionem lens opaca exeat.

Signa lentis cum *humore vitreo* concretæ, ſunt, ſi lens acu depreſſa perpetuo, acu elevata, iterum reaſcendat, hinc quibusdam cataracta *elaſtica* dicitur.

6. In *complicatam* cum *mobilitate* ſeu *tremore lentis cryſtallinæ.* Talis cataracta dicitur *tremula*, quia digitis fricto oculo titubare ſolet.

Reſpectu *ortus* habetur cataractæ diviſio:

1. In *localem*, quæ a vitio ſolius lentis.
2. — *univerſalem*, quæ a vitio totius corporis oritur: nempe ab acrimonia ſcrophuloſa, venera, ulceroſa, arthritica, podagrica, ſcorbutica &c.
3. — *connatam*, quæ cum homine naſcitur.
4. — *hereditariam*, quæ a diſpoſitione hereditaria ortum habet.

Causa disponens ad cataractam eſt vel hereditaria vel peculiaris debilitas in vaſculis lentis cryſtallinæ.

Causa proxima eſt obſtructio ſeu infarctus vaſculorum, & cellularum, quæ lentem cryſtallinam ejusve capſulam formant, ab humore opaco, qui lentem raro indurat, frequentius autem in humorem caſeoſum emollit.

Causæ remotæ ſunt:

1. *Inflammatio* capſulæ lentis vel ipſius lentis *non reſoluta*.
2. *Depoſitio* materiæ arthriticæ, catarrhalis, podagricæ, venereæ, ſcrophuloſæ, tineoſæ, ſcabioſæ, herpeticæ, febrilis, ulceris antiqui exſiccati.
3. Abuſus *ſpiritus vini*. Potatores non raro catаractoſi fiunt.
4. Vapor *aquæ fortis*, qui lympham lentis cryſtallinæ coagulat. *

* Szen *Diſſ. de cataracta ab effluviis aquæ fortis orta. Jenæ* 1774.

5. *Com-*

5. *Commotio capitis* aut
6. *Vulnus oculi.*
7. *Oculi percuſſio*, qua vaſcula lentis cryſtallinæ diſtorqueri & debilitari videntur.
8. *Intuitus diuturnus* corporum minutorum, præcipue ſplendidorum, hinc ſcribis, calcographis cataracta familiaris.
9. Splendor *ſolis* vel *ignis* diu in oculum agens.
10. *Vitium hereditarium* vel *congenitum.*
11. *Ætas ſenilis.*
12. *Conſenſus unius oculi cum altero.* Oculus cataracta laborans utplurimum poſt aliquot annos etiam alterum oculum cataracta afficit; hinc tot homines in utroque oculo cataracta laborant.
13. *Ambuſtio oculi.* Calor oculi lentem opacat, ut in coctis piſcium oculis videre eſt.

Diagnosis. Cataracta *incipiens* noſcitur, ſi ægroti viſus nebuloſus aut fumoſus evadat, atque naturalis pupillæ nigredo ſplendens aliquantum albeſcat; perfecta demum ingruens cæcitas cum pupillæ colore opaco & albo vel gryſeo *confirmatam* docet adeſſe cataractam.

Prognosis. Cataracta eſt malum chronicum, ægrotum deformem & præſtantiſſimo ſenſu orbum reddens, atque per vitam durans, ni operatione auferatur. Cataracta unius oculi facillime intra aliquot annos alterum oculum afficit, ni tempeſtiva cataractæ primæ extractio fiat; hac au-

tem non raro alterius oculi cataracta *præcaveri* poteſt.

Curatio cataractæ triplici modo tentatur.

1. Per *medicamenta.*
2. — *depreſſionem.*
3. — *extractionem.*

Medicamenta rariſſime opacitatem reſolvere valent. *Interne* in cataracta incipiente laudantur extractum *aconiti*, *pulſatillæ nigricantis*, *hyoſciami albi*, cum *mercurio dulci* combinatum & *millepedum ſuccus*, Tinctura antimonii Thediana. *

Externe. Fonticuli, *ſetacea*, *veſicatoria* nuchæ imponenda ſunt. Demum vapor *ſpiritus ſalis ammoniaci* per breve tempus oculo adhibeatur.

Plus præſtare videntur medicamenta in cataractis ab acrimonia ſpecifica ortis, ſic in cataracta *venerea* tentetur mercurius, in *ſcrophuloſa* cortex peruvianus cum cicuta, in *arthritica* aconiti extractum cum antimonio.

Rara ſunt exempla cataractarum ſponte evaneſcentium, ſæpius tamen adhuc id in cataractis ſecundariis obſervatur.

---

* Homini, cui jam a tribus menſibus cataracta in ſiniſtro oculo erat, viij guttas hujus tincturæ mane; & veſperi porrigebam tanto cum effectu ut quarto die objecta majora iterum diſcernere patuerit.

DEPRESSIO cataractæ tutius & facilius quam extractio ejus inſtituitur, at non raro reaſcenſum lentis opacæ admittit.

EXTRACTIO certius a cataracta liberat, at operationi ſupervenientia mala non raro viſum iterum tollunt.

Depreſſio cataractæ.

Eſt cataractæ ope acus depreſſio cum vel ſine ſua capſula e ſuo ſitu ad bulbi partem inferiorem. *

HISTORIA OPERATIONIS. Eſt antiquiſſima operatio, GALENO jam nota & ad annum 1745 conſueta, ab hoc autem tempore, quo *Cel.* DAVIEL chirurgus gallus extractionem cataractæ invenit, neglecta fuit. Hodie autem a *Cel.* POTT iterum in uſum revocatur. **

INDICATIO & CONTRAINDICATIO. Omnis cataracta deprimi poteſt, at ſi *amauroſis* vel *glaucoma*, vel *ſynchiſis* adeſt, tunc depreſſio ac extractio fruſtra inſtituuntur. ***

---

* V. *Cel.* SAINT-YVES *nouveau traité des maladies des yeux.* 1736. *Cel.* ACREL *chirurgiſche Krankengeſchichte.* & *Cel.* HENCKEL *Abhandl. der chirurg. Operationen* 1. St.

** *Cel.* POTT *chirurgiſche Beobachtungen.* & *Cl.* RICHTERS *chirurgiſche Bibliothek.* 3. St. 4. Band 564. S.

*** Generalis quorundam ophthalmiatrorum regula, quæ operationem declarat inutilem, ſi ægrotus lucem a tenebris diſtinguere non valeat, exceptionem patitur. Non enim ſolummodo ob amauroſim, ſed etiam

K 2

TEMPUS PRO OPERATIONE. Omni anni tempore depreſſio fieri poteſt.

CUBICULUM PRO OPERATIONE ſit ſat lucidum, præter unam, omnes feneſtræ cubiculi obvelentur.

PRÆPARATIO ÆGROTI. Die ante operationem fiat venæſectio, aliquot ante operationem dies primæ viæ ſale amaro purgentur, ab hoc tempore victus ægri ſit antiphlogiſticus.

PRÆPARATIO INSTRUMENTORUM. *Acus cataractaria Cel.* MOHRENHEIM eſt omnium acuum optima. *

PRO DELIGATIONE parentur *ſplenia* quædam & *faſcia ocularis.*

SITUS ÆGROTI. Æger in ſede humiliori ita verſus feneſtram ſedeat, ut lumen a latere incidat in oculum.

SITUS CHIRURGI. Chirurgus in ſede altiori quam æger ſedeat, adeo ut hujus caput pectori chirurgi obverſum ſit, & ad illud, quantum fieri poteſt, appropinquet.

ſi cataracta admodum magna eſt, atque ſi cataracta cum uvea concreta eſt, ægrotus lucem a tenebris diſtinguere nequit. In his duobus ultimis caſibus operatio tamen non raro cum ſucceſſu inſtituitur. Hinc ſigna harum trium conditionum bene diſtinguantur.

* *Cel.* MOHRENHEIMS *Beobachtungen verſchiedener chirurg. Vorfälle.* 1. *B.* 1780. *Tab. I. Fig. I.* Atque *Clariſſ. Profeſſoris* STOLL *rat. med.* I. p. 445. Acus ex argento ſed cupro largius admixto paretur, ut apici conoideo & ſubtiliori quædam firmitas concilietur.

Situs adjutoris. Hicce retro ægroti ſedem ſtet, atque una manu fronti, altera mento ægroti ſuppoſita, caput illius reclinet, ac pectori ſuo firmiter apprimat.

Operatio ipsa. Si oculus, exempli gratia, ſiniſter cataractam habet:

1. Oculus ſanus ſeu dexter *ſplenio* & *faſcia* firmiter obtegatur.
2. Chirurgus ſiniſtræ manus pollice atque indice bene palpebras diducat, atque ita ſimul oculi bulbum immobilem teneat.
3. Imperandum jam ægroto eſt, ut oculum verſus naſum vertat, ſic externus oculi angulus amplam albugineæ partem operatori exhibet.
4. Tum chirurgus dextra manu acum, ab adſtante miniſtro exhibitam, calami ſcriptorii adinſtar, pollice, indice & digito medio prehendat, & binos reliquos digitos ſuper genas adeo imponat, ne manus facile contremiſcat.
5. Denique acum cataractariam albo oculi ad duarum linearum a cornea diſtantiam recta per oculi tunicas e regione medietatis pupillæ immittat, acus duobus digitis comprehenſa, lente gyrando ita intra oculum immittatur, ut nulla adhibita vi, ſed ſolo ferme pondere proprio adigatur.
6. Quamprimum chirurgus ex ceſſante partium renitentia animadvertit, acum tunicas bulbi penetraſſe, inclinanda ſtatim eſt acus ſupra

cataractam, eaque mox cum ſua capſula a parte ſuperiori infra pupillæ regionem inferiorem, & paululum retrorſum ad fundum humoris vitrei premenda & aliquamdiu ibi retinenda eſt, ut cataracta inferiori parti inſideat.

7. Si acum in pupillam elevatam cataracta depreſſa non ſequatur, bene eſt facta operatio, adeoque tum acus iterum ex oculo recta educi debet. Si vero cataracta elevationem acus ſequeretur, tunc depreſſio aliquoties & fortius repeti deberet.

8. Noxium eſt, ſtatim poſt operationem ægroti viſum variis objectis demonſtratis exercere. Sic enim facile reaſcendit cataracta, & inflammationi occaſio datur.

Deligatio prima. Statim a peracta operatione ſplenium collyrio ex aqua vegetominerali, vel vino tepido imbutum aut cataplaſma pomaceum ſuper oculum, ſed ſine oculi preſſione, applicari & faſcia firmari debet.

Oportet vero *utrumque oculum* per injectam faſciam devincire, nam aperto oculo agitato, movetur & alter ſub faſcia.

Regimen ægroti.

1. Facta prima deligatione æger ſuper lectum adeo locetur, ut caput ejus aliquibus pulvinaribus ſuffultum, erectum aliquantum ſervetur, quotidie enema emolliens applicetur.

2. Caveat ægrotus a tuſſi, vomitu, riſu, ſternutatione, ſermone intenſiori, niſu ad alvum; ac præſertim ab inclinatione capitis ad anteriora vel quod adhuc deterius ad inferiora, ſic enim facile reaſcendit cataracta.
3. Elapſis aliquot ab operatione horis inſtituatur *venæſectio.*
4. Sub veſperam primæ diei exhibeatur *emulſio* cum nitro & ſyrupo diacodii, & injiciatur *enema emolliens.*
5. Oculus bis de die per 8 vel 10 dies cataplaſmate pomaceo vel aqua ſaturnina, aut vitriolata vel aqua vegetominerali deligetur. Sub omni deligatione obſcurentur feneſtræ, ne lux vividior oculum feriat.
6. *Victus* per octiduum ſit antiphlogiſticus.
7. Poſt decimum diem, ſi ſingula bene ſe habent, oculus non amplius deligetur, at maneat æger in cubiculo obſcurato; demum poſt aliquot dies lumen admittatur, at oculi peplo ſericeo viridi, e fronte propendente, ſint muniti, oportet.

   Paullatim demum ægrotus in cubiculo lucido obambulare & ad victum conſuetum redire poteſt.

Operationes cataractarum specialium:

1. *Cataracta lactea.* Quamprimum ſub depreſſione, ope acus capſula lentis inciditur, illico humor lacteus cataractæ effluit in humorem aqueum, qui ſubito adeo turbidus & al-

bicans evadit, ut chirurgus nec pupillam nec cuſpidem acus amplius videre queat.

Hæc turbiditas poſt aliquot ſeptimanas ſponte evaneſcit. Si id non contingat, vulnere aperiatur cornea & emittatur humor turbidus.

2. *Cataracta caseosa.* Quandoque ſub depreſſione fragmenta quædam remanent vel in cameram anteriorem elabuntur. Particulæ elevata acu remanentes etiam deprimantur; elapſæ autem cum tempore in humore aqueo reſolvuntur.

3. *Cataracta cum uvea concreta.* Noſcitur quod ſub cataractæ depreſſione ſimul iris inferius rugetur, ſuperius deprimi videatur. Chirurgus in tali caſu dorſo acus uveam a cataracta antrorſum premere & ſeparare debet. Si hoc non poſſibile eſt, deſinat ab operatione, alias iridem a limbo corneæ penitus ſeparat.

4. *Cataracta cum propria capsula concreta.* Talis cataracta cum ipſa capſula deprimitur.

5. *Cataracta elastica* ſeu quando poſtica capſulæ lentis ſuperficies cum membrana hyaloidea concreta eſt. Si cataracta depreſſa, illico iterum elevata acu reaſcendat, tentetur ter, vel ſexies depreſſio fortior. Si nondum deprimi poteſt, introducat chirurgus *acum acutam* intra cataractam & humorem vitreum, ſeparet lentem & dein deprimat illam.

6. *CATARACTA CAPSULARIS ANTERIOR.* Licet utplurimum capſula in anteriori vel poſteriori membrana obſcurata, ſimul cum lente deprimatur, fieri tamen poteſt, ut inciſa vel rupta capſula deprimatur lens ſola ſine capſula. Noſcitur, depreſſa cataracta, laminam capſulæ anteriorem obſcuratam remanſiſſe, tactu, viſu mutati coloris opaci in pupilla & inconſpicuitate acus retro pupillam.

Curatio exigit, ut membrana opaca acu perfodiatur, hinc inde dilaceretur ac deprimatur.

7. *CATARACTA CAPSULARIS POSTERIOR.* Acu depreſſa cataracta, acum in pupilla videmus, at retro acum & pupillam lamina opaca apparet.

Curatio exigit, ut acu laminam opacam ab humore vitreo ſeparemus & ſeparatam deprimamus.

8. *CATARACTA NATIVA.* Qui a nativitate cataractoſi ſunt, hi etiam depreſſa cataracta non apte vident, donec videre diſcant.

9. *CATARACTA COMPLICATA CUM CORPORIS VITIO UNIVERSALI,* ut acrimonia ſcrophuloſa vel alia. His ægris depoſita cataracta fonticuli vel alia ulcera artificialia fieri debent, & remedia antacrimonioſa diu adhuc præberi, alias brevi iterum cataracta afficiuntur.

10. *CATARACTA SECUNDARIA.* Hæc quandoque poſt unam alteramve horam, vel

diem, vel menſem vel unum pluresve annos iterum a reaſcenſu lentis opacæ contingere, ac novam cœcitatem inferre ſolet, at non ſemper, nam quandoque iterum ſponte deſcendit. Interim reaſcendens cataracta ſi non ſponte iterum deſcendat novam exigit depreſſionem, aut quod tunc tutius eſt extractionem cataractæ.

Symptomata depreſſioni quandoque *ſupervenientia* ſunt:

1. *Ecchymosis albugineæ*, quæ in loco, cui acus immiſſa fuit, quandoque obſervatur. Hoc malum eſt nullius momenti, ac collyrio facile diſcutitur.

2. *Hypoæma* ſeu cruoris effuſio in oculi cameras, qua humor aqueus totus rubicundus apparet. Hoc malum jam gravius eſt, at non raro venæſectioni, ac fomento ex vino & ſpeciebus cephalicis cedit.

3. *Inflammatio oculi.* Hæc minus quam in extractione timenda eſt, & raro adeo valida fit.

   Curatur venæſectionibus, ſale amaro, ſpec. cephalicis vino infuſis, aqua vegetominerali aut cataplaſmate pomaceo & veſicatorio.

4. *Effluxus humoris aquei*, a quo tunica cornea concidit. Hoc ſymptoma non multum timendum eſt. Paucos enim intra dies humor aqueus & oculi priſtina forma redit.

5. *Vomitus*, haud raro poſt unam alteramve horam vel etiam prima nocte ſequitur, qui vero ſponte brevi plerumque iterum ceſſat. Mali vero indicii ſymptoma eſt, nam vomendi impetu cataracta depreſſa utplurimum reaſcendit. Hinc ſtatim poſt operationem antemeticum ſeu laudanum liquidum cum oleo amygdalarum dari debet.

6. *Prolapsus cataractæ* per iridem in anticam oculi cameram; hæc poſtulat inciſionem corneæ atque extractionem lentis opacæ.

7. *Myosis* & *synizesis*. Hæc vitia uveæ inflammatæ vel iridis læſæ ſunt ſequelæ. V. *Myoſis* & *ſynizeſis*.

8. *Iridis læsio*. Iridis vulnera longitudinalia, non adeo ſunt periculoſa, ſi inflammatio arceatur.

9. *Hypopyum*. Hoc plerumque inflammatæ uveæ, vel iridis ſequela eſt, hinc mali ominis; nam plerumque ſequitur pupillæ anguſtatio, & cœcitas.

10. *Myopia* & *amblyopia*, quibus cataracta, vel deprimitur, vel extrahitur, his utplurimum viſus debilior ob lentis defectum. Hinc Perſpicilla biconvexa, quorum focus 5 vel 6 pollicum eſt, adhibeantur.

Extractio cataractæ.

Eſt cataractæ exemptio ex oculo ope inciſionis in corneam. *

Indicatio. Omnis cataracta extrahi poteſt.

Contraindicatio. Si *amauroſis*, vel *glaucoma* vel *ſynchiſis* ſimul cum contracta adeſt, tunc operatio fruſtra inſtituitur.

Utplurimum *infelix* eſt operationis exitus, ubi rheumaticus vel arthriticus dolor alicubi ægrum vexat, aut cephalæa aut hemicrania, aut temporum dolor, aut frequens ophthalmia, aut eryſipelas ſæpius recurrens; aut tuſſis longa, aut facies puſtuloſa fuit, aut dentium & gingivarum conditio prava eſt, neque ubi alterutra cornea opacari incæpit, aut oculus vaſis ſanguineis amplioribus aut varicoſis perreptatur, ſi temperies humorum acris & habitus corporis nimis irritabilis eſt; ſi cataracta cum uvea vel cum humore vitreo concreta eſt.

Depressio eſt extractioni *præferenda.*

1. Si ægrotus nictitatione palpebrarum vel bulbi convulſione laborat.
2. Si oculus nimis profunde in orbita locatur.
3. Si cornea nimis plana ut in breſpytis eſt.

---

* *Cel.* P. Richter *von der Ausziehung des grauen Staars.* & *Cel.* Hellmann *vom grauen Staar und deſſen Herausnehmung.*

4. In infantibus, qui nec oculum nec caput in requiſita pro operatione quiete & ſitu ſervare poſſunt.

EMPUS PRO OPERATIONE. Omni anni tempore extractio fieri poteſt. *Hyeme* cubiculum ægroti modice ſit calefactum, *æſtate* modice refrigeretur. *Ver* & *autumnus* ob conſuetam morborum epidemicorum frequentiam pro hominibus ad epidemiam diſpoſitis, æquivocum exhibent tempus.

OCUS PRO OPERATIONE & PRÆPARATIO ÆGROTI eadem requiritur ac pro depreſſione.

ÆPARATIO INSTRUMENTORUM.

1. *Digitale cum haſta Cel.* RUMPELT.
2. *Cultellus cataractarius Cel. Prof.* RICHTER.
3. *Cyſtitomus* aliquantum curvatus *Cel.* LA FAYE.
4. *Acus cataractaria haſtata pro extorſione capſulæ cryſtallinæ cum lente* D. MORRHENHEIM. *
5. *Cochleare ophthalmicum Cel.* LA FAYE.
6. *Forſices ophthalmicæ Cel.* DAVIEL, pro dilatando corneæ vulnere, ſi neceſſarium foret.
7. *Inſtrumentum* pro ſeparatione cataractæ cum iride concretæ.

EPARATIO PRO DELIGATIONE. *Splenia* quædam & *faſcia ocularis.*

---

l. c. Tab. I. *Fig.* 2.

Situs ægroti. Æger in ſede humiliori ita ſedeat verſus feneſtram, ut lumen a latere naſi in oculum incidat.

Situs chirurgi. Chirurgus in ſede altiori quam æger ſedeat, adeo ut hujus caput pectori chirurgi obverſum & approximatum ſit. Nam neque elevatis, neque extenſis brachiis tuto ſecat chirurgus.

Situs adjutorum. Unus operatori præbet inſtrumenta. Alter retro ægroti ſedem ſtet, atque una manu ægri ſuperiorem palpebram elevet, altera manu ægroti mento ſuppoſita caput illius reclinet ac pectori ſuo firmiter apprimat.

Operatio ipsa. Si in ſiniſtro ægri oculo operatio peragenda eſſet, tunc:

1. Dexter ægri oculus *faſcia* & *ſplenio* fortiter obtegatur.
2. Chirurgus digito indice ſiniſtræ manus deprimat palpebram inferiorem & oculi bulbum inferius in interno angulo ſimul paululum, caute tamen, comprimat.
3. Jam dextra manu cultellum inſtar calami ſcriptorii prehendat, armatamque manum ad externum oculi angulum applicet, & ut firma ſit, genæ temporique ægroti adprimat.
4. Oportet jam, ut chirurgus in hoc ſitu paululum exſpectet, donec oculus, qui tunc temporis valde plerumque agitatur, in oportuno ad operationem ſitu, nempe elevatus, &

ad externum orbitæ angulum verſus, per momentum quieſcat.

5. Hoc ipſo momento cultelli cuſpidem, ſubito, caute tamen, tunicæ corneæ in angulo externo, ad lineæ dimidiæ a ſclerotica diſtantiam, loco, qui pupillæ centro altitudine reſpondet, perpendiculari ad corneam directione impingat, ut cameram oculi anteriorem intret.

6. Dein cultellus, averſa ab iride illius cuſpide & retrorſum moto illius manubrio, ut lamina illius parallelam cum iride directionem ſervet, anteriorem tranſeat oculi cameram, atque in oppoſito latere e cornea, loco, quo ingreſſus eſt, ſimili exeat.

7. Jam ulterius propellat cultellum ad angulum oculi internum, donec cuſpis illius ad ſex circiter linearum longitudinem e cornea exierit, & dimidium inferius corneæ ſolutum ſit. Hoc tempore demum prorumpit humor aqueus.

8. Jam cyſtitomus per vulnus corneæ & per pupillam ad capſulam lentis cryſtallinæ admoveatur, ac expreſſa cuſpide iteratis ictibus pertundatur, & dein hoc inſtrumentum remiſſa cuſpide ex oculo aufferatur.

9. Nunc lens cryſtallina ſponte plerumque vel ad levem oculi compreſſionem exit.

10. Vel inciſa cornea, capſula lentis non aperiatur, ſed immittatur *acus hamata*, & infigatur mediæ lenti. Ope hujus acus lens cum capſu-

ſa elevetur, deprimatur dextrorſum & ſiniſtrorſum iterum iterumque, caute tamen agitetur; acum dein inter digitos rotando, a lente, in quam defixa eſt, expedias. Quo facto ad levem bulbi compreſſionem lens cum capſula vel ſponte prodit, vel parvo Davielis cochleari curvato expediri penitus poteſt. *

11. Elapſa lente demum purificetur oculus cochleari Davielis a fragmentis.

Deligatio prima & reliquum regimen ægroti poſt extractionem, ut poſt depreſſionem eadem ſunt obſervanda.

Operationes cataractarum specialium:

1. *Cataracta lactea.* Hæc cataracta cum integra capſula eximi non poteſt, hinc poſt humoris lactei effluxum, cava lentis capſula cuſpide acus vel cyſtitomi diſcindatur.

2. *Cataracta caseosa.* Fragmentis cataractæ exemptis idem cum capſula ac in priori ſpecie tentetur.

3. *Cataracta cum uvea concreta.* Stilus cum apice inflexo introducatnr inter uveam & lentem atque tentetur ſeparatio.

* Hæc methodus a *Cel. Prof.* Richter nuper propoſita ægrotum a cataracta ſecundaria, a capſulæ obſcuratione oriunda, tutum reddit. V. *Obſerv. chirurgicarum Faſc.* II. p. 88.

4. *Cata-*

4. *Cataracta cum propria capſula concreta.* Talis cataracta cum ipſa capſula *acu Richteriana* ſolvitur & exprimitur.

5. *Cataracta elastica* ſeu cum *humore vitreo concreta.* Tentetur ſeparatio capſulæ ab humore *acu Richteriana.* Si vero ſeparatio non ſuccedit, incidatur capſula, & exprimatur lens ſola.

6. *Cataracta capsularis anterior,* vel *posterior.* Hæc ſpecies cataractæ præſertim capſulæ ſeparationem ab humore vitreo exigit, ſi hæc impoſſibilis eſſet, diſcindatur remanens capſula opaca diſſectionibus.

7. *Cataracta secundaria* extractioni jam die altero poſt operationem ſuperveniens ab inflammatione remanentis capſulæ eſt. Hæc quandoque applicatis antiphlogiſticis fomentis intra aliquot dies ceſſat, at ſi hæc inflammatio his remediis primis diebus non cedit, violentiora adhibenda ſunt; ut venæſectio aqua vegetomineralis, veſicatorium ad nucham & ad tempora, purgantia ex ſale amaro.

Si vero inflammatio in obſcurationem chronicam remanentis capſulæ abeat, tunc adhibeantur reſolventia fortiora, quæ in curatione cataractæ laudavimus, his nil proficientibus, fiat nova operatio & deſtructio lamellæ opacæ.

8. *Cataracta cum pupilla coarctata.* Si pupilla jam ante operationem perpetuo coarctata & immobilis eſt, atque inciſa cornea & bene obſcurato cubiculo ſe non dilatat, tunc operator aliquod tempus exſpectet, ſi nondum ſe dilatat, audacter eſt pupilla incidenda.

Infortunia ſub extractione cataractæ.

1. *Incisio inter lamellas corneæ.* Si culter oblique immergatur corneæ, tunc intra lamellas decurrit. Hinc retrahatur culter & applicetur magis perpendiculariter.

2. *Vulnus corneæ nimis angustum.* Si non dimidium corneæ aperiatur, lens cryſtallina in vulnere manet incarcerata. In tali caſu mediante forfice recta, dilatentur anguli vulneris. Forfice recta facilius quam curva hæc dilatatio fieri poteſt; præjudicium eſt forficem acutam contuſum facere vulnus & malam relinquere cicatricem.

3. *Corneæ collapsus sub incisione.* Hoc contingit, ſi humor aqueus jam ſub inciſione corneæ præmature effluat, vel ob malam cultri figuram, quo omnes, præter *Richterianum*, vitio laborant cultri; vel ob retractionem cultri ex vulnere, ſi ægrotus oculum movet, aut miniſtro delabatur palpebra ſuperior, vel denique ſi oculi bulbus ſub inciſione corneæ multum premitur.

In tali caſu facillime læditur iris, hinc ab operatione penitus abſtineat chirurgus & conſolidato vulnere poſt aliquot dies iterum operationem repetat. Vel forfice recta & obtuſo apice vulnus corneæ ſufficienter dilatet.

4. *Iridis læsio.* Hæc viſu & ſanguinis effluvio noſcitur.

5. *Iridis prolapsus*, qui ſub operatione contingit, a preſſione externa vel tetano bulbi oritur. Reponi debet Iris. V. *Ptoſis iridis.*

6. *Prolapsus humoris vitrei.* Hic vel a preſſione externa oculi, vel ex tetano muſculorum bulbi originem habet. Mediocris portio elabens nil viſui obeſt, imo clarius vident, quibus humor vitreus prolabitur. V. *Prolapſus humoris vitrei.* *

7. *Præmaturus lentis crystallinæ elapsus.* Quandoque vix aperta cornea & nondum inciſa capſula cryſtallina jam cum violentia proſilit lens cryſtallina vel ob oculi preſſionem vel ob ſpaſmum muſculorum bulbi. Hinc timendum eſt, ne ſimul fiat iridis atque vitrei humoris prolapſus.

8. *Sternutatio ægroti.* Hæc peſſime jam inciſa cornea operationi ſupervenit, nam inde ſanguis, iris & totus humor vitreus ex oculi

* Obtegatur oculus & committatur prolapſus naturæ. *Cl.* Richter *Abhandl. von der Auszieh. des grauen Staars.* S. 113.

bulbo excuti ſolet. Hinc illico oculus linteo & manu continendus.

9. COMPLICATIO CUM AMAUROSI. Si chirurgus extracta lente pupillam nigram & puram obſervet, æger autem nil tamen videre poſſit, amauroſis adeſt. Hinc operatio eſt ſine fructu.

10. COMPLICATIO CUM SYNCHYSI ſeu diſſolutione humoris vitrei. Exempta lente cryſtallina illico effluit tenuis humor vitreus, & æger manet cæcus.

11. COMPLICATIO CUM GLAUCOMATE ſeu opacitate humoris vitrei. Exempta lente cryſtallina prominet humor vitreus opacus, hinc æger manet cæcus.

12. COMPLICATIO CUM PUPILLA COARCTATA. Si facta inciſione corneæ pupilla ante operationem dilatata ſe valide contrahit, impoſſibilis eſt capſulæ inciſio & lentis expreſſio. Hinc cubiculum eſt obſcurandum & expectandum donec pupilla ſe dilatet.

Symptomata poſt operationem quandoque ſequentia.

1. VULNUS CORNEÆ NON CONCRESCENS. Communiter tertio poſt operationem die vulnus corneæ eſſe ſolet concretum. Si ergo quarto aut quinto adhuc die vulnus nondum concretum invenitur, id vel ob malos ægri humo-

res vel iridis aut humoris vitrei prolapſum contingit.

2. *Cicatrix visibilis.* Vulnus corneæ, quod mirum eſt, cultello acuto inflictum nullam relinquit cicatricem, niſi vulnus in ſuppurationem magnam abeat.

3. *Ophthalmia.* Quandoque ſeptimo primum die poſt cataractæ operationem ſuccedit inflammatio oculi & febris. * Hæc non raro venæſectione, ſale amaro, veſicatoriis nuchæ & temporibus applicatis iterum diſcutitur. Quandoque vero *acuta* ophthalmia in *chronicam* degenerat, quæ menſes & annum durare ſolet. V. *Ophthalmia chronica.*

4. *Effluvium humoris aquei post tertium diem*, quo ceſſare deberet, eſt ſignum iridem vel humorem vitreum in vulnere eſſe incarceratum.

5. *Prolapsus humoris vitrei*, qui aliquot horas poſt operationem a ſpaſmo muſculorum bulbi oritur, exigit opiata. V. *Prolapſus humoris vitrei.*

6. *Prolapsus iridis*, aliquot poſt operationem horas vel altero die etiam a tetano bulbi oritur. Reponatur iris & applicetur ſolutio aluminis. V. *Ptoſis iridis.*

7. *Pupilla deformis.* Eſt frequens cataractæ extractionem ſequens ſymptoma.

---

* Lange l. c. p. 5.

8. *Pupilla fissa*, a læſione transverſali iridis ſub operatione oritur. Non amplius curatur.

9. *Myosis*, *sinizesis* & *synechia*, ab inflammatione iridis & uveæ oriuntur. V. *Hos morbos ſub ſuis titulis.*

10. *Obscuratio corneæ* a corneæ inflammatione oritur & hac ſanata evaneſcit.

11. *Turbiditas humoris vitrei*, quandoque a remanente particula cataractæ caſeoſæ, in humore aqueo ſoluta, originem habet & evaneſcit poſt aliquot ſeptimanas.

12. *Hypopyum* eſt inflammationis internæ effectus. V. *Hypopyum.*

13. *Blepharophthalmia*; hæc effectus eſt palpebræ a miniſtro contuſæ vel cataplaſmate relaxatæ. Facile curatur.

14. *Musculorum bulbi convulsio.* Hæc ab animi pathemate, aut nimis cito admiſſa luce excitari poteſt: exprimit ſæpe iridem aut humorem vitreum per vulnus corneæ. Exigit fomentum pomaceum cum croco & camphora. *Interne* detur opium.

15. *Amblyopia*, hæc a lentis defectu originem habet, exigit perſpicilla utrinque convexa.

16. *Tabes oculi.* Hæc quandoque ab humorum effluxu oritur. V. *Tabes bulbi.*

17. *Trichiasis*, quandoque ſub curatione cilia quædam introvertuntur & bulbum inflammant. Cilia introverſa evellantur, ſi everti nequeunt.

PROLAPSUS LENTIS CRYSTALLINÆ.

Eſt lentis prolapſus ex ſua capſula in anteriorem oculi cameram.

Species ſunt:

1. *Prolapsus lentis sine vulnere corneæ.*

Causa proxima eſt capſulæ cryſtallinæ ruptura. Hæc ſæpe contingit ſub *depreſſione* cataractæ, a *lapſu* in caput, a *ſaltu* e loco alto, a *percuſſione oculi*, a *preſſione bulbi.*

Diagnosis. Lens prolapſa noſcitur inſpectione oculi, & viſu lentis cryſtallinæ pellucidæ vel opacæ.

Effectus. Lens cryſtallina in anteriori oculi camera quandoque dolorem, oculi inflammationem, pupillæ contractionem procreat, atque viſum perturbat, quandoque præter viſus perturbationem nullum excitat ſymptoma.

Curatio exigit inciſionem corneæ adeo magnam, ut in extractione cataractæ requiritur.

2. *Prolapsus lentis cum vulnere corneæ*, qui facta corneæ inciſione voluntaria ut in extractione cataractæ, aut in involuntaria corneæ vulneratione contingit, præſertim ſi oculus digitis vel inſtrumentis vel ſpaſmo muſculorum bulbi multum premitur.

MORBI HUMORIS VITREI.

GLAUCOMA.

Eſt opacitas humoris vitrei. *

Noscitur ex cæcitate ægroti & viſu circuli opaci, vel ſaltem obſcurioris, qui retro lentem cryſtallinam obſervatur.

Causa proxima eſt depoſitio humoris opaci in cellulas humoris vitrei.

Eſt morbus rariſſimus, cognitu difficillimus ac ſemper incurabilis.

Species ſunt:

1. *Glaucoma opacum*, in quo humor vitreus, ut in cataracta molli, impellucidus eſt. In morbo incipiente poſſet *externe* vapor ſpiritus ſalis ammoniaci tentari. *Interne* tinctura antimonii *Thediana*, extractum pulſatillæ nigricantis, cicutæ, hyoſciami albi, aconiti cum millepedibus, cum mercurio dulci, & infuſo arnicæ exhiberi poſſet. Morbus adultus eſt *incurabilis*.
2. *Glaucoma terreum*, in quo humor vitreus in concrementum terreum, ut authores referunt, degenerat.

* Heisteri *Tractatio de cataracta, glaucomate & amauroſi*. Altorfii. 1720.

3. *Glaucoma purulentum*, eſt humoris vitrei mutatio in humorem purulentum vel puri analogum. Eſt *incurabilis* & ni oculus exſtirpetur, in alterum tranſit.

SYNCHYSIS.

Eſt humoris vitrei ſolutio in tenuitatem aqueam.

Causa utplurimum latet. * Hic morbus eſt fere ſemper cum amauroſi ** quandoque ſimul cum cataracta complicatus.

Noscitur ex perfecta cæcitate, in qua pupillæ nigredo adeo eſt pallida, ut per illam tota interna retinæ ſuperficies, & ejus vaſcula rubra videri poſſint.

Curatio eſt impoſſibilis. Quæ enim medicamenta humori vitreo diſſoluto naturalem reſtituant denſitatem?

PROLAPSUS HUMORIS VITREI.

Eſt humoris vitrei prolapſus e vulnere corneæ vel ſcleroticæ.

Effectus, modicus prolapſus nil obeſt, & intra aliquot ſeptimanas iterum reſtituitur, ſi vero magna hujus humoris pars effluat, tunc bulbus collabi-

---

* Ab applicatione ſpiritus volatilis cornu cervi hæc diſſolutio inducta fuiſſe videtur. V. *Cl.* Richter *vom grauen Staar.* S. 102.

** *Cel.* Richter *Faſcicul. obſerv. chir.* II. p. 67.

tur, pupilla ſe claudit, & immedicabilem cæcitatem infert.

Species ſunt:

1. *Prolapsus a pressione oculi.* Eſt ſymptoma in cataractæ extractione frequens, quando adjutor vel operator ſub inciſione corneæ bulbum digitis ruditer premit.

2. *Prolapsus a spasmo musculorum bulbi.* Hicce ſpaſmus quandoque ſtatim a facta inciſione corneæ aut ſub extractione lentis oritur, quandoque vero altero vel aliquot poſt operationem dies primum contingit. De cauſis hujus ſpaſmi V. *Tetanus bulbi.* Nec ſitus ægroti ſupinus hunc prolapſum præcavet.

Curatio exigit, ut illico opium cum oleo interne detur. *Externe* oculus deligetur per 9 dies, & prolapſus relinquatur in vulnere, nec reprimatur, nec abſcindatur. Nam vulnus ſenſim conſolidans partem prolapſam ſua ſponte ſeparat. *

* V. *Cel.* Richter *von der Ausziehung des grauen Staars* in capitulo de prolapſu humoris vitrei. p. 99.

MORBI RETINÆ ſeu VISUS.

PHOTOPHOBIA.

Eſt tanta lucis intolerantia, ut oculus vel modicam ejus quantitatem ægre ferat.

Tales ægroti connivendo ſolent ſe a nimia luce tueri.

Causa proxima eſt nimia retinæ ſenſilitas.

Species ſunt:

1. *Photophobia inflammatoria*, quæ ophthalmiæ præſertim internæ eſt ſymptoma.

   Curatur ablata inflammatione.

2. *Photophobia a mydriasi*, pupilla enim dilatata nimiam radiorum copiam admittit, hinc lucis intolerantia.

   Curatio palliativa exigit obvelationem oculorum tela ſericea viridi.

   Curatio radicalis exigit ablationem mydriaſeos. V. *Mydriaſis*.

3. *Photophobia a desuetudine lucis*. Qui diu carceribus incluſi, ex illis educti lucem diu non ferre poſſunt, etſi pupilla contrahatur. Quibus cataracta deprimitur aut extrahitur, his primus lucis introitus igneus ut fulgur, oculo non ferendus videtur. Utantur peplo viridi & ſenſim aſſuefaciant oculos luci.

4. *Photophobia nervea*, quæ ab aucta nervorum ſenſitivitate naſcitur. Eſt ſymptoma hydrophobiæ & multorum morborum tum acutorum tum ſyſtematis nervei.

Curatur roborantibus & nervinis.

5. *Photophobia a nimia luce* ut ab inſpectione ſolis, qui oculo intolerabilis eſt.

6. *Photophobia ab hydrocephalo interno* eſt ſymptoma hujus morbi & ut ille incurabilis. *

AMAUROSIS.

Eſt cæcitas cum pupilla utplurimum nigra, dilatata, & immobili. **

Dantur vero etiam amauroſes cum pupilla coarctata, mobili, pallida vel usque ad retinam pellucida. ***

Raro unus utplurimum uterque oculus hoc morbo afficitur.

Causa proxima eſt deficiens influxus liquidi nervei in nervum opticum & in retinam.

Rariſſime naſcitur hic morbus ſine omni *prædiſpoſitione.*

---

* Wilt *von der Hirnwaſſerſucht.*

** Dicitur etiam *gutta ſerena.* V. Oehmen *Diſſ. de amauroſi.* & Nootnagell *Diſſert. de amauroſi. Erlangæ*, 1776. & *Cl.* Trnka *Hiſtoria amauroſeos.* 1781. *Vindobonæ.*

*** *Cel.* Richter *Faſc. II. obſerv. chirurg.* p. 62.

Diagnosis. Amauroſis utplurimum ſenſim, rarius ſubito ingruit. Signa amauroſis incipientis ſunt viſus paullatim debilitatus, nebuloſus, araneoſus, reticuloſus, coloratus, lucidus. Tandem imperfecta, ac ultimo perfecta ſupervenit cæcitas, licet pupilla appareat nigra.

Species amauroſis, reſpectu cauſarum, ſequentes conſtitui poſſunt.

I. *Amaurosis a congestione sanguinea*, ſeu quæ a ſanguinis copia in vaſis, quæ cerebrum, nervum opticum, ac retinam perreptant, congeſta oritur.

Cauſæ congeſtionis ſunt *nixus* a ponderis geſtatione, præſertim corpore valde antrorſum curvato, niſus a partu. *Plethora* ab æſtu aeris, vel inſolatione capitis commota. Suppreſſa *menſtrua* vel *lochia* vel *hæmorrhoidum* fluxio, aut conſueta *venæſectio* omiſſa, abuſus *ſpirituoſorum. Vomitus*, *tuſſis*, *riſus*, *clamor*, *inflatus tubarum*, quo ſanguis in capite retinetur, abuſus mercurialium, * aut martialium. Demum *ophthalmia membranæ choroideæ*, *apoplexia ſangninea*, *febris calida*, & *graviditas* huc referuntur.

Noſcitur amauroſis ſanguinea ex ſignis ſanguinis ad encephalon & oculos congeſti. Homines juvenes & ſanguineos aggreditur.

---

* *Cel.* Theden *Unterricht für die Wundärzte bey Armeen.* 1774. S. 199.

Curatio amauroſeos ſangineæ exigit repellentia & evacuantia. Hinc fiat:

1. Larga *venæſectio* in pede & brachio aliquoties inſtituenda.
2. *Scarificatio.*
3. *Hirudinum applicatio* ad tempora & oculorum canthos.
4. *Sectio arteriæ* temporalis. Simul adhibeantur
5. *Purgantia fortia & enemata acria*, ſæpius repetenda.
6. *Semicupia* vel *balnea tepida.*
7. Externe *aqua frigidiſſima* ad oculum, & *fomentatio frigida* fronti & temporibus, omni horæ quadrante renovanda, applicetur.

His remediis incaſſum adhibitis ſignum eſt vaſa ſanguine turgida jam *atonia* laborare; hæc remediis externis & internis, ſpeciatim in amauroſi laudatis curari debet.

Remedia interna, quæ in amauroſi laudantur, ſunt:

1. *Cicutæ extractum.* *
2. *Aconiti extractum.* **

---

* Cicutæ uſu plures homines viſum recuperarunt. *Illuſtr. Bar. de* Störck. *Tr. de cicuta* p. 168 & 169.

** V. *Lib. cit. Illuſtr. de* Störck p. 120. & p. 268. Extracto aconiti cum mercurio dulci ſimulque adhibito veſicatorio ad caput, puerum e retrogreſſa capitis ſcabie intra 14 dies ſanavi.

3. *Infuſum florum arnicæ.* *
4. *Balſamus vitæ.*
5. *Sulphur auratum antimonii tertiæ præcipitationis.* **
6. *Oleum animale* DIPPELII.
7. *Moſchus.* ***
8. *Decoctum ligni quajaci.* ****
9. *Mercurius dulcis* ſeu *Calomel.* *****
10. *Belladona.* ******
11. *Decoctum ſaturatum corticis peruviani ac radicis Valerianæ cum ſale volatili cornu cervi nuptum.* *******

---

* *Cel.* COLIN paſſim in *ann. med. & obſervat.*

** Balſami vitæ guttulas aliquot, ſaccharo exceptas, nec non ſulphur auratum antimonii tertiæ præcipitationis laudat Fr. HOFFMANN. *ſyſt. med. rat.* T. IV. p. 4. §. 6. p. 119. & 120. §. 5.

*** Oleum animale DIPPELII ac moſchum laudat *Cl.* WARNER *on the humane eye.* & *Cel.* LIEVTAUD *Synopſ. univerſ. praxeos med.* 1765. *Amſt.* P. I. L. 2. S. 2. p. 351.

**** Tentari ſaltem debet ob eximios in paralyſi tollenda effectus. V. *Illuſtr.* WINTRINGHAM *Annotationes in* MEADII *monita & præcepta.*

***** Mercurio dulci feliciſſime guttam ſerenam curarunt. ROWLEY *A treatiſe on the deſeaſes of eyes* p. 150. & *Abhandl. der Schwediſchen Akademie.* 30. B. 703. S.

****** V. *Hannöveriſches Magazin.* 1774. St. 27.

******* NOOTNAGELL l. c. p. 14. & DRESKY *Diſſ. de Valeriana officinali Linnei. Erlangæ.* 1776.

12. *Vomitoria.* *

13. *Radix hermodactyli.* **

14. *Tinctura cantharidum.* ***

Medicamenta *martialia* interne adhibita amauroticis nocent, cum congeſtionem ſanguinis verſus caput & oculos augeant.

Remedia externe adhibenda, ſunt:

1. *Balnea frigida.* ****

2. *Capitis*, capillis abraſis, *frictio*, cum pannis laneis, ſuccini fumo imbutis, nec non cum ſpiritu vini camphorato, colli vertebris ſimul infricando. *****

3. *Oleum animale Dippelii* oculo inſtillatum. ******

4. *Balſamus vitæ* Hoffmanni fronti ac temporibus applicatus. *******

5. *Sternutatoria.* ********

---

* *Cel.* Schmucker l. c. Th. I. p. 481. & *Cel.* Theden *Bemerkungen.* & *Cel.* Richter l. c. p. 80.

** *Illuſtr.* a Linne *materia medica.* p. 45.

*** *Cl.* Brisbane *Select. caſ. in the practice of medecine.*

**** Warner l. c. p. 32.

***** Gendron *Traité des maladies des yeux.* T. II. p. 235.

****** *Acta Acad. Elect. Moguntinæ.* T. I. p. 536.

******* *Syſt. M. Rat.* T. IV. p. 120.

******** *Cel.* Richter l. c. p. 57.

6. *Aquæ*

6. *Aquæ calidæ* cum fabis coffeæ toſtæ aut cum *ſpeciebus cephalicis infuſæ vapor.* *
7. *Halitus volatilis ſpiritus ſalis ammoniaci.* **
8. *Frictio bulbi ocularis & regionis ſupraorbitalis.*
9. *Vis electrica.* ***
10. *Vis magnetica.* ****

2. *AMAUROSIS A CONGESTIONE SEROSA*, quæ ab humore ſeroſo vel pituitoſo in cerebri cortice, ventriculis, in baſi cranii aut circa nervos opticos effuſo vel congeſto originem habet. Hinc catarrhum male curatum, tranſpirationem ſuppreſſam, depoſitionem pituitoſam, apoplexiam ſeroſam, hydrocephalum pro cauſa habet.

Aggreditur pituitoſos, ſenes & infantes.

Curatio exigit diaphoretica ut decoctum lignorum, antimonium cum roob ſambuci. Vinum antimonii HUXHAMI, purgantia, diuretica, vo-

* Conf. HEISTERI, HOFFMANN, LIEUTAUD libros citatos.

** *Cel.* SCHMUCKER l. c. B. 2. S. 473.

*** *Medical. obſervations and inquiris.* Vol. V. 1776. & *Cel.* RICHTER *chirurg. Bibliothek.* 4. B. 1. St. 54.

**** *Cel.* NOOTNAGEL in *Diſſ.* citata. p. 23. & *Cel.* WEBER *von der Würkung des künſtlichen Magnets in einem ſeltenen Augenfehler an die königliche Societät der Wiſſenſchaften nach Göttingen geſendet.* 1767. *Hannover.*

mitoria, veſicatoria, fonticulos, ſetacea. His nil proficientibus adhibeantur mox dicta *antamaurotica* interna & externa.

3. AMAUOROSIS AB IMBECILLITATE RETINÆ. Retinæ imbecillitas ſeu *atonia* inducitur cerebri commotione, nimiis ſtudiis ac lucubrationibus, nimio coitu aut manuſtupratione, diuturno microſcopiorum uſu, ſubito magnoque ſplendore in oculum illapſo, ac diuturno rei admodum ſplendidæ aut albæ ut nivis intuitu. Demum oritur a narcoticis aut vapore latrinarum oculis diu applicato.

Curatio exigit roborantia. *Externe* balneum oculi frigidum, & vinum ophthalmicum JANINI aut aqua liliorum cum ſpiritu lavendulæ conducit. *Interne* cortex peruv. cum valeriana detur.

4. AMAUROSIS EXHAUSTORUM. Sequitur omnem evacuationem, & debilitatem totius corporis, præſertim diarrhæam nimiam, vomitum cruentum, ſalivationem nimiam, venæſectionem nimis largam præcipue in gravidis.

Curatio exigit cardiaca roborantia, diætam lacteam cum cortice peruviano & caſcarillæ extracto.

5. AMAUROSIS AB ENCEPHALO. Sic hydrops cerebri, ſanguis in cranio effuſus, cerebri induratio, aut aliud vitium circa tha-

lamos nervorum opticorum, amauroſim *incurabilem* facit.

6. *AMAUROSIS A NERVI OPTICI MORBO PECULIARI.* Serum circa thalamos nervorum, aut ipſos opticos nervos aut retinam congeſtum, mora temporis degenerat in cruſtas mucoſas, terreas, hydatides, ſteatomata, hygromata. Quandoque nervi optici marceſcunt. Omnes hæ cauſæ ante cadaveris ſectionem ignorantur & amauroſes *incurabiles* conſtituunt.

7. *AMAUROSIS PERIODICA*, quæ omni altero vel tertio die ingruit. Hujus cauſa utplurimum in primis viis eſt, hinc ut febris intermittens purgantibus, ſalibus digeſtivis, cortice peruviano & arnica *curatur.* *

8. *AMAUROSIS FEBRISEQUA*, eſt illa, quæ febres tum intermittentes tum acutas ſequi ſolet.

Curatur ſetaceo nuchæ inciſo. **

9. *AMAUROSIS A VULNERE SUPERCILII.* Sub curatione vulneris primum oritur. Videtur a criſpatura nervi ſuperciliaris oriri.

* *Illuſtr. de* STÖRCK ann. med. prim: pag. 76. *Cel.* PEYE. *medical. obſerv. and. inquiris at Lond.* V. I. pag. 3. & *Cel.* MEDICUS *Geſchichte Periodiſch. Krankheiten* I. B. p. 75–82.

** *Abhandlung der königl. ſchwediſ. Akademie. Eilfter Band.*

Curatio exigit frictionem loci læſi frequentiorem cum vel ſine liquore anodyno minerali, aut ſpiritu formicarum. *

10. *AMAUROSIS A MORBO SINUS FRONTALIS.* Noſcitur dolore in ſinu frontali hærente, aut alio ſinus vitio.

Curatio exigit amotionem cauſæ a ſinu frontali. **

11. *AMAUROSIS A CONSENSU OCULORUM.* Quæ ex unius oculi vitio in altero oritur. Sic ab unius oculi amauroſi ſenſim etiam alter oculus occæcatur. Fonticulus id quandoque præcavet.

12. *AMAUROSIS CONGENITA.* Naſcuntur quandoque infantes amaurotici, cum autem in his pupilla licet immobilis at non dilatata deprehendatur, hinc cæcitas utplurimum ætate procedente primum animadvertitur.

Curatur aqua ophthalmica ex vitriolo & ſapone veneto cum ſpiritu vini, quo retinæ torpor aufertur.

13. *AMAUROSIS HÆREDITARIA.* Seu quæ plures ex eadem familia aggreditur. Hæc ſpecies fere ſemper eſt *incurabilis.*

---

* *Cel.* PLATNER *progr. de vulneribus ſuperciliis illatis & Illuſtr.* MORGAGNI *epiſtol. anat.* 1764. *Epiſt.* 18. p. 356.

** *Cel.* RICHTER l. c. 54.

14. *AMAUROSIS VENEREA*, quam depoſitio acrimoniæ venereæ aut tophus orbitæ craniive, nervum opticum premendo, producit.

Curatio exigit antivenerea cum antamauroticis combinata.

15. *AMAUROSIS SCROPHULOSA*, quæ in infantibus ſcrophuloſis a depoſitione ſucci ſcrophuloſi ad nervi optici decurſum provenit.

Curatio exigit antiſcrophuloſa & antamaurotica.

16. *AMAUROSIS EXANTHEMATICA*, quæ a morbis cutaneis ſuppreſſis oritur. A ſcabie capitis, achoribus, herpete, varis faciei, & miliaribus retropulſis, amauroſis obſervata fuit. Huc etiam ulcus ſubito exſiccatum pertinet.

Curatio exigit expulſionem exanthematis retrogreſſi, quod veſicatoriis, ſetaceis, fonticulis, ſcarificatione, ſudoriferis, diureticis, purgantibus, vomitoriis aut inſitione vel infectione obtinetur. Dein antamaurotica adhibeantur. Amauroſis ab ulcere exſiccato exigit, ut ulcus renovetur.

17. *AMAUROSIS ABDOMINALIS*, quam cauſa in abdomine latens producit, ut ſaburra acida, bilioſa, pituitoſa, verminoſa, plumbata. Hæc ſpecies familiaris eſt feminis acido laborantibus, hypochondriacis, colica ſatur-

nina affectis, iracundia ſubito commotis, & infantibus verminoſis.

Curatio exigit eliminationem ſaburræ. Hinc ex ſignis ſaburræ mobilis vel immobilis, ſurſum vel deorſum turgentis varia medela indicatur.

Saburra *immobilis* pituitoſa tartaro tartariſato & radice ari vel exigua tartari emetici portione mobilis reddatur.

—— *ſurſum turgens* vomitorio.

—— *deorſum turgens* purgante eliminari debet.

—— *acida* abſorbentibus & alcalinis, *bilioſa* cremore tartari & pulpa tamarindorum, *verminoſa* anthelminthicis præſertim valeriana curatur, amauroſis *ſaturnina* emeticis & purgantibus excutitur.

18. *AMAUROSIS SPASMODICA*, ea eſt quam ſpaſmus vel dolor oculum idiopathice vel conſenſualiter afficiens, procreat. Hæc amauroſis oritur a magno *terrore*, a *dolore* vehementi capitis, renum, vel alius partis, a vulnere ſupercilii aut muſculi temporalis, demum a morbo *convulſivo*, ut epilepſia, tetano, paſſione hyſterica.

Noſcitur ex cauſis prægreſſis. Amauroſis *hyſterica* utplurimum temporaria ſolummodo eſt.

Curatio exigit opiata, nervina, roborantia, præſertim moſchum & valerianam.

19. *AMAUROSIS PARTIALIS*, quando ſolummodo dimidia retina eſt amaurotica, facit viſum dimidiatum.

Curatur ut amauroſis integra.

20. *AMAUROSIS COMPLICATA*, eſt ea, quæ *cataractæ*, *myoſi*, *ſinizeſi*, *ſynchyſi* vel aliis morbis ocularibus jungitur. *Noſcitur* impoſſibilitate lucem a tenebris diſtinguendi. Hi morbi ſunt incurabiles, ſi amauroſis non antea curetur.

AMBLYOPIA.

Eſt viſus debilitas ſine admodum viſibili oculi vitio. *

MYOPES & PRESBYTÆ in certa objecti diſtantia ſolummodo confuſe vident: *Nyctalopes* & *hemeralopes* certo diei tempore tantum male vident, at *amblyopes* in quavis diſtantia & quovis diei tempore objecta debiliter diſcernunt.

CAUSA PROXIMA amblyopiæ *idiopathicæ* eſt retinæ minor ſenſitivitas, amblyopiæ autem *ſymptomaticæ* ſedes eſt, vel in *cornea*, vel in *humore aqueo*, vel in *pupilla*, vel in *lente cryſtallina*, vel in *humore vitreo*.

Hinc ſequentes SPECIES amblyopiæ conſtitui poſſunt:

1. *AMBLYOPIA A CORNEÆ NUBE*, qua tota cornea vel ſolummodo pars quædam obſcuratur. Puncta opaca plurimis radiis tran-

---

* Dicitur etiam *viſus hebetudo*.

ſitum denegant, hinc radii nimis pauci ad retinam perveniunt.

Curatio exigit ablationem nubis. V. *Maculæ corneæ & obſcuratio corneæ.*

2. *AMBLYOPIA A CORNEÆ HUMIDITATE*, ut in epiphora contingit. Aqua corneæ adhærens radios confuſe refringit.

Curatur ablata humiditate. V. *Epiphora.*

3. *AMBLYOPIA A CORNEÆ SICCITATE.* Sicca enim cornea pulverulenta & turbida evadit.

Curatur hæc ſpecies humectatione corneæ. V. *Scheroma.*

4. *AMBLYOPIA A TURBIDITATE HUMORIS AQUEI.* Hic enim ut turbida cornea nimis paucos radios transmittit.

Curatur reſtituta humoris aquei pelluciditate. V. *Turbiditas humoris aquei.*

5. *AMBLYOPIA AB HUMORIS AQUEI IMMINUTA QUANTITATE.* Sic enim cornea aliquantum contrahitur & pelluciditatem amittit.

Curatur reſtituto humore aqueo. V. *Atrophia oculi & rhytidoſis corneæ.*

6. *AMBLYOPIA AB ABUNDANTIA HUMORIS AQUEI*, ut in incipiente hydrophthalmia obſervatur. Sic enim focus radiorum jam ante retinam formatur. De curatione hujus vitii V. *Hydrophthalmiam.*

7. *AMBLYOPIA A MYOSI PUPILLÆ*, hæc enim nimis coarctata nimis paucos transmittit radios. De *curatione* V. *myoſim*.

8. *AMBLYOPIA AB INCIPIENTE CATARACTA*, opacari incipiens lens vel ejus caſpula non ſufficientes radios transmittit. V. *Cataracta*.

9. *AMBLYOPIA AB INCIPIENTE GLAUCOMATE*. Idem hic fit ac in cataracta. V. *Glaucoma*.

10. *AMBLYOPIA AB INCIPIENTE AMAUROSI*, in hoc enim morbo retina inſenſilis fieri incipit. De *curatione* V. *amauroſim*.

11. *AMBLYOPIA A TOPICA RETINÆ ATONIA*. Cauſæ quæ hanc retinæ debilitatem generant, ſunt, malum *hæreditarium*. Solis, lunæ, ut aſtronomi ſolent, vel ignis longus *intuitus*. Viſus nimium *intenſus* ut accidit, qui objecta minuta diu tractant, noctu multum ſcribunt, aut ad lumen perpetuo legunt, & *veneris abuſus*, qui oculos & ventriculum præprimis debilitat.

Hæc amblyopia ſpecies non raro tranſit in amauroſim.

Curatio exigit, 1 ut cauſæ morbi evitentur 2 ut lumen validum arceatur, ut oculus externis & internis medicamentis roboretur.

Retina roboratur:

1. *Abſtinentia a luce*, hinc illi qui diu carceribus obſcuris includuntur, legere & ſcribere in tenebris diſcunt.
2. *Tubis nigris*, qui lucem ſuperfluam arcent. *
3. *Perſpicillis planis viridibus*, hæc lumen moderantur.
4. Mora in *cubili*, quod ab una ſolum feneſtra lumen habet, & viridibus ornatum eſt parietibus. Color enim viridis oculum roborat.
5. Flamma lampadis vel luminis *umbraculo viridi* tegatur. Umbracula, quæ nimiam lucem reflectunt, ut *Segnerianum*, evitentur.
6. Pro labore & lectione *vitrum viride* magnum adhibeatur, ſæpius æger a lectione abſtineat & parietem viridem inſpiciat. **
7. *Externe* applicetur *vinum ophthalmicum* Janini *** vel aqua ſtillatitia ſalviæ, menthæ aut fœniculi ad uncias aliquot cum toti-

---

* Boerhaave *tract. de morbis oculorum.* Goet. 1750. pag. 175.

** Experientia docet colorem viridem oculo magis prodeſſe quam nigrum, color enim viridis ſenſim videtur tenſionem retinæ minuere, niger autem color illam ſubito & penitus relaxat.

*** *Cel.* Janin l. c. p. 395.

dem drachmis ſpiritus anthos, vel ſpiritus vini camphorati, & aliquoties balneum frigidum oculi adhibeatur.

8. *Interne* detur cortex peruvianus cum radice valerianæ ſylveſtris.

Curatio palliativa obtinetur uſu *perſpicillorum utrinque convexorum*, ſeu *biconvexorum:* horum enim ope radii collecti fortius retinam afficiunt.

12. *AMBLYOPIA A DEBILITATE TOTIUS SYSTEMATIS NERVEI*, ut poſt magnas evacuationes & in reconvaleſcentibus a morbis acutis, obſervatur.

Curatio exigit cardiaca nutrientia & roborantia.

13. *AMBLYOPIA SENILIS.* Multiplex eſt hujus amblyopiæ cauſa. Retina inſenſilior, lens flaveſcens, cornea turbidior.

Pro *curatione palliativa*, aqua liliorum cum ſpiritu anthos commendatur.

Curatio radicalis eſt impoſſibilis.

OXYOPIA.

Eſt viſus conſueta videndi facultate acrior.

Viſi fuere homines, qui de die ſtellas in cœlo videre poterant.

Causa proxima eſt præternaturalis retinæ ſenſitivitas.

Species ſunt:

1. *Oxyopia incarceratorum*, qui diu in carceribus obſcuris detinentur, ſcribere & legere in tenebris diſcunt.

2. *Oxyopia ab incipiente amauroſi*. Hæc ſpecies quandoque amauroſeos prodromus eſt. *

Curatio exigit antamaurotica. V. *Amauroſis*.

3. *Oxyopia plurium objectorum*. Eſt viſus vitium, quo ægrotus ſimul duo vel tria objecta diverſa clariſſime videt. Ratio phænomeni vel in abolitione poli viſorii retinæ eſt, vel plura loca retinæ adeo ſenſilia, ut polus viſorius retinæ evadunt.

Hinc differt hæc oxyopiæ ſpecies a diplopia: in hac enim æger unum objectum bis vel ter videt. V. *Diplopia*.

Curatio radicalis non patet, *palliativa* autem exigit tubum, qui objecta lateralia arcet: viſio enim plurium objectorum viſum reddit confuſum.

NYCTALOPIA ſeu CÆCITAS DIURNA.

Eſt viſus vitium, quo ægroti de die parum vel nihil, veſperi autem ac nocte ſat bene vident. **

---

* *Cel.* Nootnagell l. c. p. 3.

** *Illuſtr.* Halleri *Elem. phyſiol.* T. V. p. 490. & *Cl.* Rohde *Diſſ. de nyctalopia, viſu ſimplici & duplici. Jenæ* 1774.

Causa proxima eſt varia.

Species ſunt:

1. *Nyctalopia ab amauroſi periodica*, ſi paroxyſmus mane incipit & circa veſperas deſinit.

Curatio exigit vomitoria, purgantia, veſicatoria & ultimo corticem peruvianum cum valeriana.

2. *Nyctalopia a nimia retinæ sensitivitate*, quæ lucem meridianum non fert. V. *Photophobia.* *

3. *Nyctalopia a macula opaca in medietate lentis cryſtallinæ*. Cum lux meridiana pupillam coarctat, adeſt cœcitas; cum autem circa veſperas aut in loco obſcurato pupilla dilatetur, hinc radii per limbum adhuc pellucidum lentis cryſtallinæ tranſeunt.

Curatio exigit depreſſionem vel extractionem lentis cryſtallinæ.

4. *Nyctalopia a desuetudine lucis*. Sic qui ex obſcuris carceribus educuntur, ſtatim in luce meridiano nil vident, at ſenſim iterum luci aſſueſcunt.

---

* Non repugnat, quod hi homines ad lumen candelæ aut lunæ videant. Solis enim vis ad lumen candelæ eſt ut 11664. ad 1. & ad lumen lunæ in plenilunio ut 374000. ad 1.

5. *Nyctalopia a mydriasi immobili.* Hic enim pupilla nimiam lucis quantitatem admittit, quam immobilis moderari nequit, hinc ægri a nimia luce nil vident.

Curatio palliativa exigit perſpicilla viridia. De curatione radicali. V. *Mydriaſis.*

6. *Nyctalopia a nimia pupillæ coarctatione.* Hæc non ſufficientem radiorum copiam admittit, cum circa veſperas autem hæc coarctatio remittat, hinc eo tempore melius vident. Hæc coarctatio quandoque inflammatoria, quandoque ſpaſtica eſt.

Curatio exigit vel antiphlogiſtica, vel antiſpaſmodica. V. *Myoſis.* Fomentum ex radice altheæ, aut floribus malvæ & hyoſciami laudatur.

7. *Nyctalopia endemica*, integræ gentes nyctalopes ſunt, ut leucæthiopes, Africani, Americani & Aſiatici, toto enim die oculi eorum lacrumantur, noctu primum recte vident. *

8. *Nyctalopia ab oculi commotione.* Inde homo de nocte omnia objecta diſtincte videre potuit. **

---

* *Illuſtr.* Haller l. c. T. V. pag. 490. & Rohde *Diſſ. citata.*

** *Miſcellanea A. N. C. Dec.* 1. *Ann.* 1. Homo chordam fidium tenſurus, rupta chorda ſibi oculum vehementer contundebat, oculus inflammabatur, æger de

HEMERALOPIA ſeu CÆCITAS CREPUSCULARIS.

Eſt viſus vitium, quo ægroti de die bene, ad lucem autem crepuſcularem ut mane & ad veſperam, jam parum vel nil vident.

Species ſunt:

1. *Hemeralopia ab amaursi incipiente*, in qua æger lucem meridianam adhuc, crepuſcularem autem vel lumen candelæ non amplius ſentit. Imo omnis *amblyopia*, ſi vehemens, eſt hemeralopiam ſimul cauſat.

Curatur ut amauroſis.

2. *Hemeralopia ab amaurosi periodica*, cujus paroxyſmus circa veſperas incipit & adulta jam die deſinit.

Curatur purgantibus & dein dato cortice peruv. cum valeriana.

3. *Hemeralopia a transpiratione suppressa oculi.* Forſan retina humore tranſpirabili inundatur magis circa veſperas, quia aer frigidior quam de die.

---

nocte minimas lineas imaginum & litteras libror. diſtinguebat, clauſo oculo ægroto autem nil videbat, nec diei, nec candelæ lucem de nocte ferre potuit, hicce morbus poſt aliquot dies evanuit.

Curatio exigit evacuantia ac præſertim diaphoretica antimonialia. *

4. *HEMERALOPIA ENDEMICA.* In China & Barbados, tum in Maldivienſibus, & Moluccis inſulis, in Moſambica, Braſilia, ac in Polonia frequens eſt malum.

MYOPIA.

Eſt difficultas objecta paullulum diſſita diſtincte videndi. **

Myops nempe cenſetur qui ultra 20 pollices non diſtincte videt. Datur myopia 3 — 6 — 9 — pollicum.

CAUSA PROXIMA eſt adunatio radiorum in focum jam ante retinam.

SPECIES ſunt:

1. *MYOPIA A CORNEÆ NIMIA CONVEXITATE.* *Cauſa* hujus convexitatis eſt vel a nativitate, vel a majori aquei humoris ſecretione, hinc uno die major quam altero myopia eſſe poteſt, hinc incipiens hydrophthalmia origo myopiæ.

Curatio ab ætate & evacuantibus ſperatur.

* RICHARD DE HAUTESIERCK *Recueil d'obſervations de Médecine des Hôpitaux I. 2.* & *Cel.* WEIZ *neue Auszüge aus Diſſertationen für Wundärzte. 6. B. 50. S.*

** *Illuſtr.* HALLERI *Element. phyſiol.* T. V. p. 496. & *Hamburg. Magazin* T. 23. p. 279.

2. *MYO-*

2. *Myopia a nimia longitudine bulbi.* Hæc longitudo vel *nativa* eſt vel *aquiſita* ob humorum congeſtionem in oculos, inde artifices in minutis operibus occupati, ut ſigillorum ſculptores, & homines multum legentes, frequenter poſt adoleſcentiam iterum myopes fiunt. Hi *curantur* abſtinentia ab artificiis cominus laborioſis.

3. *Myopia a nimia convexitate anterioris superficiei in lente crystallina.* Etiam hoc vitium a nativitate eſt.

Radii paralleli, qui incidunt in corneam, eo obliquius incidunt, quo cornea vel lens, vel humor vitreus in anteriori ſuperficie eſt convexior. Sed angulus refractionis eſt angulo incidentiæ æqualis, ergo angulus refractionis eo citius in focum formabitur, quo convexior eſt cornea, vel lens.

4. *Myopia a densitate majori corneæ et oculi humorum.* Experimenta optica docent, eo citius radios in focum cogi, quo corpus diaphanum eſt denſius.

5. *Myopia a mydriasi.* Nam quo latior apertura diaphragmatis in optico inſtrumento eſt, eo propior eſt focus.

6. *Myopia infantilis.* Infantes ob corneam convexiorem ſunt myopes, ſed paulatim, dum adoleſcunt, remotiora etiam vident.

Curatio myopiæ *radicalis* ab ætate ut in infantibus ſperatur.

Curatio myopiæ *palliativa* obtinetur inſpiciendo per *tubos denigratos* absque vitris ullis, aút per *exiguum foramen* chartæ & per *perſpicilla concava.*

PRESBYOPIA.

Eſt viſus vitium, quo objecta proxima confuſe, remota vero diſtinctius videntur. *

Uti *myopia* infantibus ſic *presbyopia* ſenibus commune eſt vitium.

Causa proxima eſt ſerior radiorum adunatio in focum, ut hic ultra retinam cadat.

Species ſunt:

1. *Presbyopia a corneæ planitie.* Quo planior eſt cornea eo minus & tardius refringit radios in focum. Hoc vitium oritur 1 a *penuria* humoris aquei & vitrei, quæ ſenio vel alio morbo inducitur, 2 a *cicatrice*, quæ cornea convexitatem minuit, 3 a *nativa conformatione* corneæ.

2. *Presbyopia a lente crystallina nimis plana.* Etiam hoc vitium a ſenio, mala conformatione, vel tabe lentis cryſtallinæ oritur.

---

* *Illuſtr.* Halleri *Elem. phyſiol.* T. V. p. 501.

3. *PRESBYOPIA A NIMIA BULBI BREVITATE.* Sic enim diſtantia inter corneam & retinam redditur brevior, quam focus eſt.

4. *PRESBYOPIA A MINORI DENSITATE CORNEÆ* vel *HUMORUM OCULI;* quo enim hæ partes ſunt rariores, eo minus refringunt radios. Qui ex hac cauſa ſunt presbyopes, hi ſenili ætate curantur, ſenium enim majorem inducit denſitatem corneæ, & ipſius lentis. Ex ejusmodi emendatione factum eſſe videtur, ut ſubinde presbyopes ſponte convaluerint, & vitra convexa abjecerint, quibus juniores egebant.

5. *PRESBYOPIA A CONSUETUDINE OBJECTA REMOTA CONTINUO INSPICIENDI.* Inde artifices, qui in remotis objectis occupantur, id vitium ſibi contrahere dicuntur; ratio phænomeni latet.

6. *PRESBYOPIA SENILIS.* Ex multiplici cauſa ſenes fiunt *presbyopes*, ob humorum in ſenio penuriam cornea atque lens cryſtallina fit planior & bulbus brevior. Cum autem in ſenio ex ipſa ſenili ſiccitate bulbus oculi brevior & cornea planior fiat, hinc qui antea myopes fuerunt, nunc in ſenio recte vident & vitris concavis non amplius indigent.

7. *PRESBYOPIA A NIMIA OBJECTORUM PROXIMITATE*, objectorum diſſitorum focus eſt brevior, propinquorum autem eſt longior.

8\. *PRESBYOPIA A PUPILLA COARCTATA*, quo anguſtior eſt apertura diaphragmatis in tubo optico, eo remotior eſt focus.

Curatio radicalis eſt impoſſibilis, niſi ætate curetur. Curatio autem *palliativa perſpicillis convexis*, obtinetur. Hæc enim radios ita refringunt, ac ſi ex puncto longinquo venirent.

9\. *PRESBYOPIA MERCURIALIS*, quæ ab uſu mercurialium præparatorum oritur, ægrotus ſentit dolorem preſſorium in oculo, qui ab attactu augetur, bulbus oculi rigidus quaſi eſt, & difficulter ad latus moveri poteſt Objecta vicina æger penitus non videt, diſſita autem confuſe.

Multi hunc morbum pro amauroſi imperfecta habent.

Curatio exigit fomenta ex foliis malvæ & vaporem aquæ, venæſectionem in pede, & pulpam caſſiæ cum ſero lactis. Quando dolor in oculo ceſſat, temporibus emplaſtrum de tacamahaka applicetur, & per aliquot ſeptimanas mane & veſperi aliquoties ſcintillæ electricæ ex oculo extrahantur. Viſu penitus redeunte aqua frigida oculi roborentur. *

---

* MARAT. *on a ſingular. diſeaſe of the eyes.* Lon 1776. & RICHTERS *chirurg. Bibliothek* 4. *Ban* 1. *Stück.*

HEMIOPSIA ſeu VISUS DIMIDIATUS.

ſt oculi vitium, quo ægrotus objecti partem mediam ſeu non integram videt.

pecies hujus mali ſunt:

1. *Hemiopsia a macula dimidiæ corneæ*, vel *dimidiæ lentis.* Radiorum enim pars media in loco opaco ſuffocatur.

Curatio exigit, ut corneæ opacitas aufferatur, vel ut lens opaca extrahatur. V. *Maculas corneæ.*

2. *Hemiopsia ab amaurosi dimidiæ retinæ.* Si nempe focus partim retinæ paralyticæ partim ſanæ illabitur.

Curatio exigit amotionem cauſæ, quæ amauroſim facit. V. *Amauroſis.*

3. *Hemiopsia nervea*, quæ in nervo optico ſedem habere videtur.

Curatur medicamentis nervinis, & purgantibus interpolatis. *

---

* *Cel.* Abrah. Vater *in Diſſ. de duobus viſus vitiis, altero duplicato, altero dimidiato.* 1713. *Wittembergæ.* Tres caſus morbi memorat. Religioſus cum tenuiſſimo victu tempus quadrageſimale celebraret, ſubito vehementer capitis dolore obrutus, brevi poſt oculorum acie hebetata, tandem viſu a latere ita amiſſo, ut nomen, ex pluribus ſyllabis combinatum, non niſi capite & oculis, quamlibet ſyllabam ſeorſim ſe-

MYODESOPSIA ſeu VISUS MUSCARUM.

Eſt oculi vitium, quo ægrotus *punctnm nigrum*, quod muſcæ, araneæ vel floccis nigris ſimile cenſet, ante oculum videt. *

Hoc punctum nigrum volitare videtur, quando ægrotus oculum movet, & fixum manet, ſi oculus figitur. Homines, qui viſum acriorem habent, & in luce ſerena conſtituuntur, præſertim his myodibus ſeu floccis nigris affici ſolent.

Causa proxima eſt punctum opacum in quodam retinæ loco; ſeu ab humore opaco in vaſe quodam retinæ hærente, aut in retinæ ipſius ſuperficie effuſo vel a vaſe varicoſo retinam premente.

Species ſunt:

1. *Myodesopsia a puncto opaco retinæ.* Quæ ſpecies amauroſis partialis eſt, ac non raro in amauroſim totalem tranſit.

Curatur ut amauroſis.

---

quentibus, legere potuerit. Pariter inter duos vel plures ambulantes, junctim ſociatos, unum ſolum e directo ſibi obvium vidit. Speculum inſpiciens dimidium ſaltem oculi & pupillæ repræſentari ſemper obſervavit. V. *Miſcellaneæ N. C. anni* V. VI. obſ. 107.

* Derivatur a μυῖα & ὀψία viſio.

2. *MYODESOPSIA SANGUINEA*, quæ a congeſtione ſanguinis in vaſcula quædam retinæ oritur. Hæc ſpecies in phrenitide, in plethoricis, a ſolis æſtu, a menſtruis vel hæmorrhoidibus ſuppreſſis, & a capite diu antrorſum inclinato, obſervatur.

Curatio exigit venæſectionem, revellentia & externe repellentia, ut aquam frigidam oculo applicatam. *Myodes* phreniticorum larga narium hæmorrhagia optime ſolvuntur.

3. *MYODESOPSIA AB ATONIA RETINÆ*, quæ a lectione nimia, a lucubratione, teleſcopiorum vel microſcopiorum frequentiori uſu, aut a vehementi foco radiorum in retinam illapſo, oritur.

Curatio exigit remotionem cauſæ, applicationem fomenti ex aqua frigida, & interna roborantia ut corticem peruvian. cum valeriana. Supercilio infricetur liquor anod. m.

4. *MYODESOPSIA AB OCULI CONTUSIONE*, qua forſan guttula alicujus humoris in retina effunditur.

Curatur venæſectione & fomentis diſcutientibus. *

* Sunt authores, qui putant, myodes in oculo excitari a puncto opaco cryſtallinæ lentis, vel a macula in cornea, vel a corpuſculo in humore aqueo volitante; at optices regulas qui attentius conſiderat, facile comperiet, imagines rerum, in oculo ante retinam

VISUS RETICULARIS.

Eſt oculi vitium, quo ægrotus umbras ramoſas reticulo tenui, aut telæ aranearum ſimiles, videt.

Causa proxima eſt turgeſcentia vaſculorum retinam perreptantium, & illam prementium.

Species ſunt:

1. *Visus reticularis a congestione sanguinis in retinam.* Sic cohibita inſpiratione, aut capite diu antrorſum inclinato, pro libitu poſſumus nobis procurare viſum reticulatum. Hæc ſpecies *fugax* eſt & evaneſcit remota cauſa.
2. *Visus reticularis permanens*, qui conſtanter adeſt. In hac ſpecie videntur vaſa retinæ ob retinæ atoniam conſtanter turgere.

Curatio exigit fomenta roborantia vel aquam frigidam externe oculo applicatam: *interne* cortex peruv. cum valeriana detur.

ſitarum, prorſus extra oculum projici, nunquam in oculo depingi. Corporis enim radiantis & a cryſtallino humore, tres ſemidiametros hujus lentis cum ſemiſſe diſtantis, nulla pingitur in retina imago, cum igitur cornea in nullo oculo diſtet a lente cryſtallina tribus ejusdem ſemidiametris cum ſemiſſe, hinc nulla ſupra corneam cicatrix, aut corpus in humore aqueo volitans, neque macula in lente cryſtallina percipitur a retina. Hæ cauſæ viſum debiliorem ſeu amblyopiam, non autem myodeſopſiam cauſare valent.

VISUS NEBULOSUS.

Eſt oculi vitium, quo ægrotus per nebulam vel linteum vel tenebras quaſi ſe objecta videre opinatur.

Causa proxima eſt vel denegatus tranſitus ſufficientis quantitatis radiorum, vel inſufficiens ſenſilitas retinæ.

Species ſunt:

1. *Visus nebulosus ab incipiente cataracta*, quæ jam pauciſſimos radios ad retinam transmittit. Exigit *curationem* cataractæ.

2. *Visus nebulosus ab incipiente amaurosi*, quando retina jam fere inſenſilis, vix radiis lucis amplius afficitur.

   Curatio exigit curam amauroſeos.

3. *Visus nebulosus a leucomate corneæ*; per loca opaca non requiſita radiorum copia, quæ viſui claro ſufficeret, tranſit. De *curatione* V. *maculas* & *obſcurationem corneæ.*

4. *Visus nebulosus a turbido humore aqueo*. Sic pauci radii hunc liquorem tranſire poſſunt.

   Curatio exigit, ut humor hicce clarus reddatur vel emittatur. V. *Turbiditas.*

5. *VISUS NEBULOSUS AB INCIPIENTE GLAUCOMATE.* Idem contingit, ſi humor vitreus opacus fieri incipit.

Curatio eſt raro poſſibilis. V. *Glaucoma.*

6. *VISUS NEBULOSUS AB INCIPIENTE ANIMI DELIQUIO.* Quibus animi deliquium imminet, his viſus non ſolum nebuloſus, ſed tandem *tenebricoſus* evadit, ob ceſſantem liquidi nervei motum in retina.

Curatur evanido animi deliquio.

7. *VISUS NEBULOSUS AB ATONIA RETINÆ,* quæ inſenſilis aliquantum evadit: de cauſis & curatione hujus ſpeciei, V. *Amblyopia* a debilitate retinæ.

8. *VISUS TENEBRICOSUS AB INGESTIS VENENIS*, quæ per conſenſum e ventriculo in retinam agunt.

Curatio exigit emetica.

METAMORPHOPSIA ſeu VISUS DEFIGURATUS.

Eſt vitium oculi, quo ægrotus figuras objectorum mutatas videt. *

SPECIES ſunt:

1. *METAMORPHOPSIA AUCTA*, quando ægroto objecta majora, quam revera ſunt,

* *Metamorphoſis* eſt figuræ mutatio, *figura* eſt limes extenſi. Hinc ſpecies hujus morbi a figuræ magnitudine & circumſcriptione mutata conſtituo.

apparent. Id a myopia, a ſaburra primarum viarum, a morbo nervorum originem habere poteſt.

2. *METAMORPHOPSIA DIMINUTA*, quando objecta minora quam revera ſunt, videntur. Etiam hæc ſpecies a ſaburra primarum viarum oriri viſa eſt. *

Curabatur vomitorio & purgante.

3. *METAMORPHOPSIA NUTANS.* Vertiginoſis, ebriis, & morbo nerveo affectis objecta titubare videntur. Quandoque ſaburra primarum viarum aut tranſpiratio ſuppreſſa origo mali eſt. Hinc *curatio* juxta cauſas inſtituatur.

4. *METAMORPHOPSIA TORTUOSA* ſeu *FLEXUOSA*, quandoque omnes res apparent flexuoſæ ſeu tortuoſæ. Cauſa hujus mali vel in nervis vel in primis viis eſt. Hinc pro curatione vel evacuantia vel antiſpaſmodica adhibe. **

---

* LENTIN *Obſervat. faſcicul.* II.

** Illuſtr. Medico Narbonenſi octogenario per aliquot dies omnia objecta inflexa ſeu flexuoſa vel in alterutrum latus nutantia apparebant, ita ut homines obvii viderentur ipſi trunco, cruribusque tortuoſi, ſimulque in alterutrum latus declinantes & ad lapſum proni, quos ideo prima vice monebat, aut ſuſtentare conabatur; evanuit hic affectus, remanſit vero viſus ſolito obſcurior. V. *Illuſtr.* SAUVAGES *Noſol. method.* T. II. p. 190.

5. *METAMORPHOPSIA INVERSA*, quando ægroto omnia objecta, inverſa apparent. *

6. *METAMORPHOPSIA IMAGINARIA*, eſt rei non præſentis viſio ut in delirantibus, maniacis, & viſionariis quandoque obſervatur.

Curatio exigit ablationem morbi, a quo viſio imaginaria oritur. **

7. *METAMORPHOPSIA AB IMPRESSIONE REMANENTE.* Sic qui attente præſertim in magna luce objectum intuetur, diu adhuc objectum ſibi præſens videt.

CHRUPSIA ſeu VISUS COLORATUS.

Eſt oculi vitium, quo ægrotus objecta alieno colore tincta, vel colores varios iridi vel pavonis caudæ ſimiles videt. ***

---

* Exemplum, ubi omnia morboſe inverſa apparuerunt, habet *Illuſtr.* SENNERTUS *Praxe med.* L. I. c. 3. S. II. Archiater Dresdenſis cum in bibliotheca ſcalam aſcendendo, oculos nimis ſurſum converteret, ſubito animadvertit, omnia ſe ſe plane inverſa videre. Duravit hæcce miranda oculorum affectio per anni quadrantem, donec eodem caſu, quo venerat, rurſus evaneſceret, cum iterum nimirum caſu aliquando oculos valde attolleret.

** *Cel.* DELII *Diſſ. phantaſmata ante oculos volitantia.* Obſervavit VALSALVA hominem, qui continuo præ oculis palatia pulchre decorata & colorata ſibi adverſari videbat.

*** χρωψια derivatur a χρωα color & οψια *viſio.*

Causa proxima eſt color alienus in retina, vel preſſio retinæ, quæ irritationi ſimilis eſt, quam focus coloris in retina excitat.

Species ſunt:

1. *Chrupsia ictericorum*, quibusdam ictericis omnia objecta apparent flava. *

   Curatio exigit ſanationem icteri.

2. *Chrupsia a sanguine effuso.* Sic cruor in oculi cameris & circa retinam effuſus objecta rubro colore tingit.

   Curatio exigit venæſectionem purgantia & fomentum diſcutiens.

3. *Chrupsia a frictione vehementi oculi, præsertim in tenebris.* Notum eſt inde pavonios excitari colores, qui ſenſim evaneſcunt.

4. *Chrupsia febrilis.* Ægroti, qui febre peſtilentiali decumbebant, irides videbant. **

---

* Dico ictericis *quibusdam*, non enim omnes objecta vident flava. *Cel.* Durazzini oculos icterici, cui objecta videbantur flava, diſſecuit, huic retina, omnes oculi membranæ, atque lens cryſtallina humore flavo erant tincta. In alius icterici cadavere, cui objecta non flava apparebant, præter capſulam lentis nil flaveſcebat in oculo. V. Torgioni *raccolta di opuſculi medico-practici*. T. I.

** *Cel.* Boyle *de coloribus* p. 18. & *Illuſtr.* Halleri *Element. phyſiolog.* T. V. p. 528.

5. *CHRUSIA AB INSPECTIONE SOLIS.* Imago prima eſt lucidiſſima, ſed hæc inde in rubram, flavam, cæruleam & nigram degenerat ac evaneſcit.

6. *CHRUPSIA AB IMPRESSIONE PERMANENTE.* Sic qui diu pannum ruberrimum intuetur, & oculum ſubito avertit, diu adhuc rubedinem percipit.

7. *CHRUPSIA NERVEA.* Ex terrore quandoque omnia virideſcunt, vel cæruleſcunt. Quandoque delirium, quandoque ſaburra ventriculi cauſa hujus mali eſt.

Curatio exigit amotionem harum cauſarum.

8. *CHRUPSIA A MISCELA RADIORUM COLORATORUM EXTRA OCULUM.* Si quis perſpicillum, cujus unum vitrum cæruleum, alterum rubrum eſt, naſo apponit, & lumen aſpicit, tunc videt flammam violaceam. * Sic ab incenſo in tenebris ſulphure omnes adſtantes viride palleſcere videntur.

PHOTOPSIA ſeu VISUS LUCIDUS.

Eſt oculi vitium, quo ægrotus radios, vel lineolas igneas, vel ſcintillas, aut corruſcationes videt. **

---

* JANIN *Beobachtungen über das Auge.* S. 88.

** HIPPOCRATI dicitur *marmaryge.*

Causa proxima harum viſionum lucidarum eſſe videtur preſſio retinæ, adeo valida, ut ſimilis ſit preſſioni, quam focus lucis naturalis in retina excitat, id docent cauſæ lucem imaginariam excitantes.

Species ſunt:

1. *Photopsia a percussione oculi.* Id vulgatiſſimo experimento notum eſt, dicunt percuſſi ignem ex oculo exſilire.
2. *Photopsia ab affectione nervea.* Fulgura ante tetanum, ante epilepſiam, aut alios morbos ſpaſmodicos, huc refero.

Curatio exigit ablationem morbi ſpaſmodici.

3. *Photopsia a congestione sanguinis in retinam* vel *nervum opticum.* Hinc a tuſſi, vomitu, ſternutatione, vertigine, ante amauroſim & apoplexiam obſervata fuit; hinc a menſtruis vel hæmorrhoidibus ſuppreſſis oritur.

Curatio exigit venæſectionem, purgantia, revellentia.

Externe aquam frigidam.

4. *Photopsia a labore in corporibus minutis.* Id de ſutricibus phrygiis atque de lucubratione nimia affirmatur. Et hæc ſpecies a ſanguinis congeſtione oriri videtur. Labor enim talis oculum irritat & irritatio attrahit.

Curatio hinc eadem, ut in ſpecie priori.

5. *PHOTOPSIA AB EVIGILATIONE NOCTURNA.* Quibusdam has ſcintillas imaginarias adeo fuiſſe vividas referunt ſcriptores, ut etiam noctu aliquot ſecunda durarent, & ad videnda objecta ſufficerent. *

6. *PHOTOPSIA A LACRUMATIONE.* Quorum oculi lacrumis madent, hi lucidos vident radios, quia radii lucis in lacrumis prius flectuntur antequam corneam tranſeunt. Hæc ſpecies abſterſis lacrumis evaneſcit.

STRABISMUS.

Eſt oculi vitium, quo ægrotus objecta, oculum unum vel utrumque ab axi viſus diſtorquendo, intuetur. **

Hæc oculi diſtorſio vel *ſurſum* vel *deorſum* vel *extrorſum* vel *introrſum*, in uno vel utroque oculo obſervatur, vel diſtorſio oculorum eſt *inæqualis*, adeo ut oculorum unus terram, alter cœlum aſpiciat.

Effectus ſtrabiſmi ſunt non ſolum deformitas oculorum ſed etiam viſus debilior in dijudicandis corporibus diſſitis & diplopia, præſertim morbo incipiente.

---

* Si hæc pars hiſtoriæ vera eſt, dicit *Illuſtr.* HALLERUS *Elem. phyſiol.* T. V. p. 527.

** *Cel.* BUFFON *ſur la cauſe du ſtrabiſme ou des yeux louches.* in *Mem. de l' Acad. des ſciences.* 1743.

Species

Species ſtrabiſmi ſunt :

1. *Strabismus neunatorum.* Omnes infantes neunati oculos diſtorquent, aſt ſucceſſu temporis obſervant, objecta diſtinctius videri ambobus oculis, ad ea directis, quæ directio illis ſenſim naturalis evadit. *

2. *Strabismus a prava consuetudine infantum duo objecta simul intuendi.* Sic infans in cunis inter duo objecta, quæ valde amat, locatus, ſi ex uno latere ſpeculum v. g. vel feneſtram & ex altero latere nutricem perpetuo aſpicit, facile ſtrabiſmo afficitur.

Curatio exigit, ut oculus ſanus per aliquot menſes linteo deligetur, ſi unus ſolummodo oculus ſtrabiſmo eſt affectus. Si vero uterque oculus ſtrabiſmo laborat, tunc per aliquot dies ſolus dexter & per aliquot ſolus ſiniſter oculus deligari debet. Sic oculus nudus ſimpliciſſimo hoc remedio ſenſim intuitui recto objectorum aſſueſcit. Habetur denique peculiaris *faſcia ad ſtrabiſmum*, quæ ex duabus patellis perforatis conſtat.

3. *Strabismus ex distorsione unius musculi bulbi.* Infantes, qui in naſo verrucam, vel aliud vitium habent, vi oculum perpetuo diſtorquent, ut hoc

* *Cel.* Petit *Diſſ. ſur la vue des enfans. Mémoires de l' Acad. de Paris.* 1727.

vitium aſpicere poſſint, unde ſenſim ſtrabones evadunt.

Curatio exigit roborantia externa ut fomentum ex vino & ſpiritus camphorati aliquot guttulis.

4. *STRABISMUS AB AMBLYOPIA* vel *MYOPIA UNIUS OCULI.* Sic ſi ſiniſter oculus non videt ultra ſemipedem & dexter ultra pedem, tunc objecta unico dextro oculo aſpicere aſueſcimus & debilem oculum negligimus, Idem obſervatur in hominibus, qui unius oculi cæcitate laborant; *Cæcus* enim oculus a ſano divergit. In ambobus oculis cæci in utroque oculo ſtrabones ſunt.

5. *STRABISMUS A SPASMO UNIUS MUSCULI BULBI.* Tunc bulbus verſus muſculum ſpaſmo affectum trahitur, & immobilis manet. *Cauſa* hujus ſpaſmi eſſe poteſt a ſaburra primarum viarum, a malo hyſterico vel hypochondriaco, a terrore, ab oculi punctura.

Curatio hinc exigit ablationem cauſæ.

6. *STRABISMUS RHEUMATICUS*, qui a rheumatiſmo muſculi unius bulbi oritur; noſcitur dolore rheumatico ſub bulbi motu.

Curatur purgantibus & antirheumaticis.

7. *STRABISMUS A PARALYSI UNIUS MUSCULI BULBI.* Sic muſculus antagoniſta fortior factus ſe ex oppoſito latere contrahit. Si vero omnes bulbi muſculi paralyſi

afficiuntur, tunc bulbus immobilis manet & cum motu oculi ſani non correſpondet.

Cauſæ hujus paralyſis ſunt capitis vel oculi contuſio, incipiens apoplexia, prægreſſa epilepſia, quæ quandoque paralyſim relinquit, vulnus nervi ocularis.

Curatio exigit antiparalitica, ut arnicam, electricum ignem, nervina externe & interne applicata.

8. *STRABISMUS A BULBI UNIUS IMMOBILITATE.* Sic enim bulbus immobilis motui bulbi mobilis reſpondere nequit.

Cauſæ, quæ bulbum reddunt immobilem, ſunt bulbi concretio cum orbita ob pinguedinem orbitalem ſuppuratione conſumptam, vel tumor oſſeus, aut cyſticus, qui bulbum ad latus premit. Longa muſculorum quies, quæ contractilitatem muſculorum cauſat, ut ſi oculus longo tempore firmiter deligatur.

Curatio exigit amotionem cauſæ; ſi hæc amoveri nequit ſtrabiſmus eſt incurabilis.

9. *STRABISMUS ENDEMIUS.* Omnes fere incolæ Aſiæ æquinoctialis ſtrabones & nyctalopes ſunt, hi interdiu album oculi tantum oſtendant, pupillam autem ſub palpebris recondunt, ne a radiis ſolis, quos arenoſum ſolum reflectit, lædantur.

10. *STRABISMUS SYMPTOMATICUS*, ut qui ſymptoma eſt hydrocephali interni,

epilepſiæ, tetani, & morientium. Omnes hi ſtrabiſmi ſunt lethales.

LUSCITAS ſeu VISUS OBLIQUUS.

Eſt oculi vitium quo ægrotus objecta non directe ſed oblique ſolummodo videre poteſt.

Differt luſcus a ſtrabone, luſcus enim oculum non diſtorquet.

Species luſcitatis ſunt:

1. *Luscitas a leucomate in medietate corneæ.* Cum ægrotus radios objecti, qui ad medietatem corneæ pergunt, videre non poſſit, hinc cogitur ut objectum oblique aſpiciat.

   Curatio exigit curationem leucomatis. V. *Maculas corneæ.*

2. *Luscitas a lentis crystallinæ situ obliquo.* In hoc caſu radii a lente cryſtallina oblique franguntur, hinc non in medietatem retinæ, ſed ad latus incidunt, ideo ægrotus luſcitare cogitur.

   Cauſæ, quæ lentis ſitum mutant, ſunt mala conformatio, vulnus capſulæ cryſtallinæ, vel proceſſuum ciliarium, commotio capitis vel oculi.

   Signum diagnoſticum hujus vitii eſt, quod pupula ſeu imago inſpicientis in oculum, non in medietate ſed lateraliter ſeu oblique appareat in oculo ægroti.

Curatio eſt impoſſibilis, incertum enim eſt, an lente extracta viſus non maneat incommodus.

3. *LUSCITAS A LATERALI PUPILLÆ SITU.* Tunc faciem & oculum vertimus adeo oblique ut radii per obliquam vel lateralem pupillam incidere poſſit.

Curatio eſt impoſſibilis.

4. *LUSCITAS AB INSENSILITATE PUNCTI VISORII IN RETINA.* Quando retinæ medietas non bene ſentit, tunc recte conſpecta objecta obſcure vel penitus non videntur, oblique vero poſita objecta diſtincte cernuntur.

Curatio vel eſt impoſſibilis, vel exigit curam amauroſeos partialis.

5. *LUSCITAS AB OBLIQUITATE CORNEÆ.* Hæc enim focum oblique ad lenten dirigit. Sed an non lens focum iterum in rectitudinem reducit? Hinc hæc cauſa luſcitatis dubia eſt. *

DIPLOPIA ſeu VISUS DUPLICATUS.

Eſt oculi vitium, quo ægrotus idem objectum bis aut pluries videt. **

---

* Vidit *Cel. Profeſſor* RICHTER corneam in quodam loco tuberoſam & ægrotus tamen non luſcitabat. V. *von der Auszíehung des grauen Staars.* S. 180.

** *Cel.* KLINCKE *Diſſ. de diplopia. Gött.* 1774.

Causa proxima eſt *dislocatio* axium viſus vel *geminata* aut *multiplicata imago* in retina unius oculi.

Species hujus morbi ſunt:

1. *Diplopia a strabismo.* Si imago unius objecti in eundem utriusque retinæ locum incidit, tunc hoc objectum ſemel videmus, quia in oculo utroque eandem ideam excitat, ſi vero ob ſtrabiſmum unus oculus ab axi viſus diſtorquetur, tunc objecti imago in oculo ſano in medietatem retinæ, in oculo diſtorto autem ad latus medietatis retinæ incidit, hinc ab inæquali ſenſatione duæ ideæ imaginis excitantur, unde objectum bis videmus.

   Cum autem ſtrabones utplurimum oculum unum altero debiliorem habeant, hinc ſolo oculo ſano videre ſolent, diſtortum ſeu debilem negligunt, ideo ſenſatio imaginis diſtinctioris in oculo ſano imaginem debiliorem in oculo debili adeo obſcurat, ut ſtrabones ſenſim diplopia non amplius afficiantur.

   Curatio hujus diplopiæ exigit curationem ſtrabiſmi. V. *Strabiſmus.*

2. *Diplopia a pressione oculi.* Notiſſimum eſt experimentum, quod geminum videamus objectum, ſi digito oculum e latere premimus. Idem obſervatur ſi oculus exoſtoſi vel alio tumore intraorbitali ad latus premi-

tur. Ratio eſt quod preſſus oculus in alio loco, quam ſanus objecti imaginem percipiat.

Curatio exigit ablationem tumoris prementis. V. *Exophthalmia.*

3. *Diplopia ab anchyloblepharo.* Si chartam luſoriam acicula bis perforemus, ita ut foraminula non magis diſtent a ſe quam pupillæ diametro, atque ſi charta oculo uni admota, altero clauſo flammam candellæ in certa diſtantia intueamur, illico flamma gemina, imo ſi tria ſunt foraminula, triplicata apparebit. Si itaque palpebris conniventibus ciliorum interſtitia, totidem foraminula, luci pervia, relinquant, nil mirum eſt, ſi tales ægroti objectum ter, quater vel pluries repetitum videant.

Curatio exigit diviſionem palpebrarum. V. *Anchyloblepharon.*

3. *Diplopia a lacrumis.* Si cilia lacrumis madent, in illis efformantur totidem lentes aqueæ, hinc per totidem lentes objecta multiplicantur.

Curatio exigit abſterſionem lacrumarum.

4. *Diplopia a lente crystallina poliedrica.* Sic duo formantur foci, qui duplicem in retina imaginem faciunt, ut in vitro polygono videre ſolemus.

Curatio exigit, ut lens cryſtallina extrahatur. An cornea polyedrica diplopiam pariat, dubium eſt. Hoc corneæ vitium eſt incurabile.

5. *Diplopia a pupilla duplici in uno oculo.* Sic enim duplex per pupillas tranſit focus ad retinam. Eſt malum incurabile. *

6. *Diplopia a pupillæ situ præternaturali.* In hoc caſu radiorum imago in diverſis utriusque retinæ locis pingitur, unde diplopia. Eſt etiam malum incurabile.

7. *Diplopia a lente e situ mota.* Etiam in hoc caſu alius eſt focus in oculo ægroto.

Curatio exigit extractionem lentis, hæc enim luxata alioquin brevi in cataractam abit.

8. *Diplopia a cataracta partiali.* Ubi lens in uno ſolum loco opacatur. Videtur focus in lente ab opacitate dividi.

Curatio exigit extractionem lentis.

9. *Diplopia myopum.* Ratio haud in promtu eſt, niſi aſſumamus myopiæ ſimul junctam eſſe quandoque lentem polyedricam.

---

* *Cel.* Reghellini *lettera chirurgica ſopra l' offeſa della viſta in una donna, conſiſtente nel radoppiamento degli oggetti, ſequita dopo la depreſſione della cattaratta.* Venez. 1749. Dantur tamen caſus, in quibus a pluribus pupillis diplopia non obſervabatur. V. *Cel.* Janin & *Cel.* Klincke opus citatum.

10. *Diplopia nervea*, quæ a peculiari affectione nervi optici, idiophatice, vel conſenſualiter affecti, oritur. Ut a terrore, ſaburra ventriculi, aſſumpto veneno, ebrietate, contuſione capitis, ſuperciliorum vel oculi, ab apoplexia vel morte inſtante, a malo hyſterico vel hypochondriaco.

Curatio exigit, ut cauſæ amoveantur. *Externe* liquor anodynus mineralis vel alia nervina nervo frontali e ſupercilio exeunti, infricari poſſunt.



FORMULÆ IN MORBIS OCULORUM.

AQUA OPHTHALMICA VITRIOLATA.

℞. *Vitrioli albi depurati* gr. xij
Aquæ roſar. ℔ß
m. f. collyrium oculo ſæpius de die inſtillandum.
Usus in ophthalmia, fiſtula lacrumali, ulceribus & opacitatibus corneæ, hypopyo.

AQUA VEGETO-MINERALIS.

℞. *Aquæ ſtillatitiæ* ℔j.
Extract ſaturni gr. xxx.
Spirit. vini. ℥ß
m. f. collyrium, quo oculus aliquoties de die eluatur.
Usus in ophthalmia.

AQUA OPHTHALMICA SATURNINA.

℞. *Sacchari ſaturni* gr. xvi.
Aquæ roſar ℔ß
Solve & per chartam cola. Detur pro collyrio oculo ſæpius de die inſtillandum.
Usus in ophthalmia.

AQUA OPHTHALMICA SATURNI-NO-AMMONIACALIS.

℞. *Sacchari ſaturni.*
Salis ammoniaci depur. aa gr. iv.
Aquæ roſarum ℥vj
m. f. collyrium S. aliquoties de die oculo aliquid inſtilletur.

Usus in ophthalmia pituitoſa & aliis morbis pituitoſis oculorum eximiæ eſt virtutis.

AQUA OPHTHALMICA ALUMINOSA.

℞. *Aluminis pulveriſati* ℈j conteratur cum
Vitelli ovorum n. 1. admiſce ſenſim
Aquæ roſarum ℥viij
m. S. oculus aliquoties de die eluendus.

Usus. In ophthalmia chronica & acuta laudatur.

AQUA OPHTHALMICA SAPPHIRINA.

℞. *Aquæ calcis* ℔j.
Salis ammoniaci depurati ʒj.

Infundantur vaſi cupreo per 24 horas, colatura detur uſui.

m. f. collyr. S. aliquoties de die aliquot guttæ oculo inſtillentur.

Usus in ophthalmia & maculis & ulceribus oculorum.

AQUA OPHTHALMICA SPIRITUOSA.

℞. *Aquæ roſarum* ʒx.
Spirit vini. ʒj.
m. f. collyr. de quo aliquotites de die aliquot guttæ oculo inſtillentur.
Usus in ophthalmia chronica.

AQUA OPHTHALMICA MERCURIALIS.

℞. *Sublimati corroſivi.* gr. j
Gummi arabici ʒj conterendo ſubigantur cum
Aquæ ſtillatitiæ ℥iv.
m. pro collyrio, oculo ſæpius inſtillando.
Usus in ophthalmia, hypopyo & ulceribus venereis oculi.

AQUA OPHTHALMICA SULPHUREA.

℞. *V^æ roſarum* ℥iv.
Flor. ſulphur ʒij
m. pone in arenam vel cinerem calidum per 12 horas digerenda in phiala bene obturata, eam aliquoties agitando, poſtea filtretur liquor & palpebra illo ſæpius per diem lavetur, atque aliquot guttulæ in oculum perinde immittantur.
Usus in ophthalmia ſcabioſa aut herpetica. *Cel.* JANIN *l. c.* p. 308. & p. 406. n. 31.

AQUA OPHTHALMICA E FLORIBUS ZINCI.

℞. *Florum zinci* ʒj
Aquæ roſarum. ℥vj.
m. f. collyrium oculo ſæpius inſtillandum.
Usus. Commendatur in ophthalmia.

AQUA OPHTHALMICA E TUTIA.

℞. *Aquæ ſtillatitiæ.* ℥vj
Tutitæ pptæ ſubtiliſſime pulv. ʒj.
m. f. collyrium oculo ſæpius de die inſtillandum.
Usus in ophthalmia & excoriationibus corneæ, albugineæ atque palpebrarum.

AQUA OPHTHALMICA E LAPIDE DIVINO.

℞. *Aquæ ſtillatitiæ* ℥vj.
Lapidis divini. ʒj
m. f. collyrium oculo ſæpius de die inſtillandum.
Usus in ophthalmia & ulceribus albugineæ.

AQUA OPHTHALMICA E LAPIDE CALAMINARI.

℞. *Aquæ ſtillatitiæ* ℥vj.
Lapidis calaminaris præparati. ʒj.
m. f. collyrium oculo ſæpius de die inſtillandum.
Usus in ophthalmia.

AQUA OPHTHALMICA GRÜLINGII.

℞. *Aquæ roſarum.* ℥iiß
Tutiæ pptæ ʒß
Lapid. calaminaris.
Sacch. ſaturni aa ℈j.

m. f. collyrium oculo ſæpius de die inſtillandum.

Usus. Valde laudatur a *Cel.* Grülingio *obſerv. med. anni* I. p. 45 & a *Cel.* Vicat *delect. obſerv.* p. 256.

AQUA OPHTHALMICA QUERCETANI.

℞. *Croci metallorum* ʒj.
Aquæ roſarum ℥vj.

m. f. collyrium S. guttæ aliquot aliquoties de die immittantur oculis.

Usus. Miræ virtutis dicitur eſſe in amblyopia, amauroſi & cataracta.

AQUA OPHTHALMICA RULANDI.

℞. *V^æ ſtillatitiæ.* ℔j

Croci metallorum ʒß ebulliant ſimul per $\frac{1}{4}$ horæ ad lentum ignem, ſi ℥ij hujus ſolutionis ℈ß olei ſaturni rubri addatur, tanto efficacius eſt remedium. Forma collyrii vel fomenti ter de die applicetur.

Usus. Ad ophthalmiam & plurima corneæ vitia laudatur.

TINCTURA THEBAICA.

℞. *Opii colati* ℥ij.
Cinamomi.
Caryophyllorum aromat. aa ʒj.
Vini hiſpanici albi. ℔j.

Macera per ſeptimanam ſine calore deinde per chartam cola. S. bis terve de die guttæ ij vel iij oculo inſtillentur.

Usus. In ophthalmia chronica ſaltim non adeo recenti efficaciſſimum eſt remedium, etſi ſolum opium aut ſolum vinum oculo inſtillatum, ut experientia docuit, ophthalmiam non diſcutiat. Immiſſio hujus tincturæ dolorem ac ruborem quidem ad aliquot minuta auget, poſtea vero brevi malum minuitur ac ſenſim evaneſcit, ut *Cel.* Ware obſervavit. *Auserleſ. Samml. zum Gebrauch pract. Aerzte.* 6. *B.* 2. *St. p.* 366.

DECOCTUM MALVÆ.

℞. *Flor. malvæ* p. j. coquatur per 5 minuta in
Aquæ ℔ß. Colaturæ per linteum factæ addas
Spiritus vini camphorati. gt. vj.

S. ſæpius per diem in forma balnei vel fomenti applicetur. Quotieſcunque illo utendum eſt, recens ſemper paretur.

Usus in hypopyo reſolvendo & ophthalmia diſcutienda a *Cel.* Janino laudatur. l. c. p. 356.

SPIRITUS OPHTHALMICUS SCHMUCKERI.

℞. *Spiritus liliorum convall.*
——— *lavendulæ.*
——— *anthos.*
——— *ſalis ammoniaci* aa ℥j.
Balſ. vitæ Hoffm. ℥ß.

m. S. manibus affuſus oculis aliquoties per diem, citra eorumdem contactum, admoveatur.

Usus. In amblyopia & amauroſi laudatur, irritat hicce vapor & lachrumas provocat. *Cel.* Schmucker *verm. Schrift.* 2. *B.* p. 18.

CATAPLASMA OPHTHALMICUM ANODYNUM.

℞. *Micæ panis ſemilag.* ℥ij.
Vitelli ovorum n. ij
Croci auſtriaci ℈j

m. f. cum lacte calido q. ſ. cataplaſma, quod tepidum inter lintea oculo applicetur.

Usus. Atrociſſimum oculi dolorem ſiſtit, ut aliquoties ſum expertus.

CATAPLASMA POMACEUM.

℞. *Micæ panis albi.*
Pulpæ pomorum acido - dulcium aa ℥iij
Flor. ſambuci p. ij.

coq. cum aquæ q. ſ. in conſiſtent. cataplaſmatis, quod tepidum inter lintea oculo applicandum.

Usus.

Usus. Poſt cataractæ depreſſionem vel extractionem ad inflammationem & dolorem præcavendum vel ſiſtendum applicari ſolet. *Cel.* Stoll *rat. med.* T. III. p. 447.

VINUM OPHTHALMICUM JANINI.

℞. *Vini generoſi albi* ℔j.
Aloes ſuccotrinæ
Tutiæ pptæ
Croci metallorum. aa ʒj.

Indita lagenæ probe obturatæ agitentur per $\frac{1}{4}$ horæ, tum bimeſtre in ſole digerantur identidem agitata.

Usus. Efficax eſt remedium in ophthalmia, palpebrarum obſtructione, ulceribus maculisque corneæ; viſum roborat, ſi mane, meridie & veſperi guttæ ij vel iij capite reclinato in majorem oculi canthum immittantur. Janin l. c. pag. 388. n. 7.

COLLYRIUM BORACINUM.

℞. *Boracis* ʒß
Sacchari albi ʒj.
Aquæ roſarum. ℥j.

m. f. collyrium oculo ſæpius de die inſtillandum.

Usus in maculis corneæ. Doſis boracis ſenſim ad ℈ij imo ad ʒj augeri poteſt.

COLLYRIUM LANFRANCI.

℞. *Vini albi* ℔j
Aquæ roſarum
—— *plantaginis* aa ℥iij
Auripigmenti ʒij
Viridis æris. ʒj.
Myrrhæ.
Aloes. aa ℈ij
m. ſolvantur.

Usus. In ulceribus & maculis corneæ.

SOLUTIO LAPIDIS INFERNALIS.

℞. *Lapidis infernalis* ʒß.
Aquæ fontanæ ℥ij
m. ſolvantur.

Usus. Pro carne fungoſa ſacci lacrumalis exſiccanda applicatur in fiſtulis lacrumalibus apertis, in occulta autem fiſtula lacrumali hæc ſolutio lapidis infernalis cum ℥viij aquæ fontanæ diluatur pro injectione. *Cel.* Janin *l. c. p.* 393. *num.* 13. *Debilis* hæc *ſolutio* etiam a *Celeb.* Rowley ad maculas corneæ delendas laudatur.

LAC OPHTHALMICUM MERCURIALE.

℞. *Mercurii vivi depuratiſſimi.* ʒj.
Gummi arabici ℥ß cum
Syrupi diacodii. q. ſ. m. conterantur in mortario marmoreo ſenſim addendo ſyrupum, donec

omnia abeant in mucum, cui ſenſim adde lactis ebullientis vaccini ℥viij. m. pro collyrio, quo oculus aliquoties de die balneetur.

Uſus in chemoſi gonorrhoica.

MUCILAGO OPHTHALMICA.

℞. *Gummi tragacanthi* ʒj
mucilago ſem. cydon. ʒiß.
Aquæ ſtillat. q. ſ. ut fiat mucilago mediocris conſiſtentiæ, quæ guttatim oculo inſtilletur & etiam externe linteola hoc collyrio madida applicentur.

Uſus. In ophthalmia acrimonioſa valde dolente laudatur.

MUCILAGO OPHTHALMICA CAMPHORATA.

℞. *Camphoræ* gr. ij conterantur cum
Mucilaginis gummi arabici. ℥jj.
Inſtillentur guttatim oculo

Uſus in ophthalmia.

ALBUMEN ALUMINOSUM.

℞. *Albuminis ovi.* N. j cum
Aluminis fruſtillo tamdiu agitetur, donec pultis conſiſtentiam acquirat, poſtea linteo ſubtili involvatur & oculo clauſis palpebris imponatur ſæpe renovando.

Uſus in ophthalmia, incommodum eſt, quod palpebras conglutinet.

UNGUENTUM E VITRIOLO ALBO.

℞. *Butyri recentis inſulſi.* ℥ij
Vitrioli albi pulv. ℈j

m. f. ung. S. granum piſi majoris magnitudine in oculi clauſi angulum majorem intrudatur & eodem palpebra illinatur. Dolor inde oritur mordicans & brevis, ideo dein oculus aqua eluatur.

Usus. Laudatur in ophthalmia ut infallibile remedium a *Cel.* Binninger *obſervat. med. lent.* 5. *obſerv.* 100.

UNGUENT. OPHTHALM. OPIATUM.

℞. *Medullæ oſſium bovinorum* ℥iij
Opii puri gr. ij

terantur invicem & applicentur.

Usus in maculis & opacitate corneæ.

LINIMENTUM OPHTHALMICUM RICHTERI.

℞. *Mellis deſpumati* ℥ij
Fellis lucii piſcis ℥j
Sal volatile C. C. gr. vj.

m. f. linimentum cum penicillo tenuiſſimo maculæ corneæ illinendum.

Usus. Ad maculas corneæ laudatur vide *Cel.* Vogler *diſſ. c. p.* 19.

UNGUENTUM OPHTHALMICUM RUBRUM.

℞. *Butyri recent. inſulſi* ℥iij
Ceræ albæ ℥ß liquefactis adde
Mercurii præcipit. rubri ʒiiß.
Tutiæ pptæ ʒj.
Camphoræ in *oleo ovorum* ʒß ſolutæ gr. XLV.
m. f. unguent. hujus ter de die lentis magnitudo oculo illinenda.

Usus. In ophthalmiis inveteratis, in maculis corneæ, in ulceribus ejusdem omnibus remediis palmam præripit, commendatur a *Cel.* THEDEN *neue Bemerk.* 1. *Th. p.* 192. Dantur homines, qui hoc unguentum non ferunt ſine magno ſubſequo oculi rubore, his poſt omnem applicationem unguenti oculus aqua ophthalmica vitriolata eluatur.

UNGUENTUM OPHTHALMICUM STOERCKII.

℞. *Butyri recentis* ℥j
Pulv. vitrioli cyprii gr. vj.
—— *Tutiæ pptæ.* ʒj.
Merc. præcip. rubri. gr. xxv.
m. exactiſſime in unguentum. S. ter de die lentis magnitudo oculo illinenda.

Usus in maculis & opacitate corneæ, in ophthalmia chronica indolente. *Præcepta medico - pract.* T. I. p. 83. 84. & *formula.* 50.

UNGUENTUM OPHTHALMICUM JANINI.

℞. *Axungiæ porcinæ mund.* ℥ß
Tutiæ pptæ
Boli armenæ aa ʒij
Merc. præcip. albi. ʒj

commiſce in mortario vitreo in unguentum; hujus molecula piſum minus æquans mane ac veſperi in oculum indatur.

Usus. Virtute hujus unguenti varices oculi, maculæ corneæ, ulcera ejusdem & tarſorum, palpebrarumque tumor abolentur. Janin l. c. pag. 396. n. 16.

UNGUENTUM OPHTHALMICUM E TUTIA CAMPHORATA.

℞. *Butyri recentis non ſaliti* ℥iß.
Tutiæ pptæ ʒiß.
Camphoræ ʒj.

m. pro unguento, quo palpebræ ac canthi earum bis de die illinantur.

Usus. In ophthalmia chronica & puſtulis oculi laudatur.

LINIMENTUM OPHTHALMICUM SLOANII.

℞. *Tutiæ præparatæ* ℥ß
Hæmatit. præpar. ℈j
Aloes pulv. gr. vj.
Margaritar. præp. gr. ij.
Axungiæ viperar. q. ſ.

m. f. linimentum. S. ope penicilli exigua portio, bis terve de die oculi corneæ illinatur.

Usus. In obſcuratione & maculis corneæ efficax eſt remedium. *Cel.* Home *Clin. Verſ.* pag. 157. in ophthalmodinia cum vel ſine inflammatione. *Act. N. C. vol. X. apend.* n. 7. p. 287.

PULVIS OPHTHALMICUS BALDINGERI.

℞. *Boli albæ* vel *rubræ*
Cremoris tartari
Sacchari albi. aa ʒj.

m. f. pulv. tenuiſſimus.

Applicetur absque flatu quotidie parva copia hujus pulveris mane ac veſperi.

Usus. Ophthalmiæ poſt variolas ortæ, nec non rheumaticæ ſeu catharroſæ, quæ collyria humida non fert, puſtulis & maculis corneæ, nec non panno corneæ medetur teſte *Ill.* Baldingero V. ejusdem *pharmacopoeam edinburgenſem.* p. 274.

PULVIS OPHTHALMICUS PURGANS.

℞. *Scamonei* gr. xij

Mercurii dulcis. gr. vj.

Sacch. albi. gr. xv. m. d. pro doſi.

Usus. Efficax eſt purgans in ophthalmia & aliis morbis oculorum, qui evacuatione alvina indigent.

PULVIS OPHTHALMICUS MERCURIALIS.

℞. *Mercurii dulcis*

Aloes. aa gr. iij.

Sacchari candi ʒij

m. f. pulv. ſubtiliſſimus vel oculo inflandus vel cum penicillo madido applicandus.

Usus in maculis & opacitate corneæ.

PULVIS OPHTHALMICUS E VITRO TRITO.

℞. *Vitri candi triti*

Sacchari albi. aa ℥ß.

m. conterantur in mortario, ut fiat ♁ ſubtiliſſimus dein per linteolum trajiciendus & ſic ope penicilli oculo applicandus.

Usus. *Cel.* Mead pulveris iſtius uſu multos a maculis corneæ ſanatos vidit. *Monita & præcepta med. ſect. III.* p. 107.

PULVIS OPHTHALMICUS EX OSSE SEPIÆ.

℞. *Medullæ oſſis ſepiæ*
Sacch. canariens. aa ℈ij
Aloes ſuccotrinæ gr. vj.
Rad. iridis florent. ʒß.

m. f. ℥ ſubtiliſſimus oculo ope penicilli applicandus.

Usus. *Cel.* Vogler in *diſſ. de maculis corneæ* p. 18. laudatur in pterygio & aliis corneæ maculis.

SACCHARUM JOVIALE BOERHAAVII.

℞. *Sacchari candi* ʒij
Limaturæ ſtanni puriſſimi, tenuiſſimi ʒj
Vitrioli communis gr. iv.

Valde conterantur, donec fiat pulvis coeruleus, cribrandus per linteolum tenuiſſimum. Sæpius de die cum penicillo exiguo, ſaliva madido, qui in hoc ſaccharum immergitur, pulvis hicce maculæ applicetur, donec liqueſcat.

Usus in maculis & opacitate corneæ. *Ill.* Boerhaave *l. c.* p. 67.

SIEF ALBUM.

℞. *Gummi arabici*
——— *tragacanthæ*
Amyli aa ʒß

Ceruſſæ ℥vj
Sarcocollæ ℥iij.
miſce fiat, pulvis.

Usus. Additur collyriis adverſus ophthalmiam a ſero acri ortam. Quandoque ℈j hujus pulveris cum gr. j opii & gr. j camphoræ ope aquæ roſarum in pulticulam redigitur, cujus pauxillum oculorum canthis externis ter de die immittitur.

PULVIS ERRHINUS MERCURIALIS.

℞. *Aquilæ albæ* gr. j.
Sacchari candi. gr. x.
miſc. divid. in x doſes æquales. S. omni mane poſt emunctionem muci naribus una doſis hauriatur.

Usus. In amauroſi & aliis oculorum morbis, ubi obſtructio ſinuum pituitariorum frontalium & inſolita narium adeſt ſiccitas, laudatur.

PULVIS PULSATILLÆ NIGRICANTIS.

℞. *Extracti pulſatillæ nigricantis* gr. xiv.
Sacchari albi ℥j
m. f. pulv. tenuiſſimus diu terendo in mortario marmoreo. Dantur ter de die grana xv hujus pulveris.

Usus. *Ill.* Stoerck horum pulverum uſu amauroſim ſexies vidit curatam.

PULVIS ACONITI.

. *Extracti aconiti* gr. ij.
Sacchari albi ʒij
. f. 🝪. S. m. ac veſp. grana x. doſis ſenſim augenda.

ſus in amauroſi & morbis a materia arthritica ad oculum depoſita. *Illuſtr.* Stoerck in *libro de ſtram. hyoſc. & aconito.* Ego huic pulveri granum unum *ſulphuris aurati antimonii* & granum unum *aquilæ albæ* addere ſoleo.

PILULÆ ANTAMAUROTICÆ SCHMUCKERI.

Gummi ſagapeni.
——— *galbani.*
Saponis veneti aa ʒj
Rhei optimi ʒiß
Tartari emetici gr. xvi.
Succi liquiritiæ ʒj.
. f. pil. gr. j. S. m. ac veſp. n. 15 per 4 vel 6. hebdomades aſſumantur.

ſus. Laudatur in amauroſi ab humoribus lentis pituitoſis aut obſtructione viſcerum abdominalium orta. *Cel.* Schmucker *verm. Schrift.* 2. *B. pag.* 16.

PILULÆ SUBEMETICÆ.

Gummi ammoniaci. ℈viij
Tartari emetici. gr. vi

m. f. pil. gr. j. S. quater de die aſſumantur pilulæ x.

Usus. Laudantur in amauroſi & aliis morbis oculorum, qui a ſaburra lenta primarum viarum proveniunt.

INFUSUM ARNICÆ.

℞. *Flor. arnicæ* ʒij infundantur in
Aquæ ferventis ℔jß per ½ horæ vaſe clauſo.
Colaturæ ℔j adde
Syrupi flor. chamom. ℥j.

m. & intra diem 4 vel 5 hauſtibus abſumatur.

Usus. In amauroſi & paralyticis oculi morbis.

INDEX.

Pag.

A.

gylops. 56
iena oculis illapſa. 89
naurofis. 172
nblyopia. 183
chyloblepharon. 17
chylops. 54
heroma. 22
rophia bulbi. 107

B.

pharophthalmia. 19
pharoptoſis. 30

C.

bunculus conjunctivæ. . 88
——— palpebrarum. 24
cinoma bulbi. 111
——— palpebrarum. . . 24
uncula conjunctivæ. . . 87
——— corneæ. 107
aracta. 138
lazion. 26
oboma. 44
pſia. 204

D.

fectus oculi. 116
formitas pupillæ. 127

Pag.

Diplopia. 213
Diſtichiaſis. 117

E.

Ecchymoma. 21
Ecchymoſis. 85
Ectropium. 36
Effluvium humoris aquei. 137
Emphyſema. 21
Encanthis. 67
Entropium. 39
Epiphora 48
Exophthalmia. 108

F.

Fiſtula corneæ. 103
——— lacrumalis. 57
——— palpebr. 44

G.

Glaucoma. 168

H.

Helcoma. 101
Hemeralopia. 191
Hemiopſia. 197
Hippus. 128
Hordeolum. 25

Pag.

Hydatis. 27
Hydrophthalmia. 129
Hydrops ſacci lacrum. 52
Hypoæma. 135
Hypogala. 135
Hypopyum. 131

I.

Immobilitas pupillæ. 128

L.

Lacrumatio ſanguinea. 69
Lagophthalmus. 33
Lemoſitas. 69
Lippitudo. 51
Luſcitas. 212

M.

Maculæ corneæ. 94
Madaroſis. 13
Metamorphopſia. 202
Milium. 28
Morum palpebrarum. 28
Mydriaſis. 117
Myodeſopſia. 198
Myopia. 192
Myoſis. 119

N.

Nictitatio. 44
Nyctalopia. 188
Nyſtagmus bulbi. 115

Pag

O.

Obſcuratio corneæ. 9
Oculus ſupernumerarius. . 11
Oedema. 2
Onyx 10
Ophthalmia. 7
Ophthalmodinia. 8
Ophthalmoptoſis. 11
Oxyopia. 18

P.

Papula ....
Peribroſis. ....
Phlyctæna conjunctivæ. ...
——— corneæ. 1
Photophobia. 1
Photopſia. 2
Phthyriaſis. ....
Presbyopia. 1
Prolapſus lentis cryſtall. 1
——— humoris vitrei. 1
Pruritus palpebrarum. ....
Pſorophthalmia. ....
Pterygium. ....
Ptoſis iridis. 1
Pupilla præternaturalis. 1
Puſtulæ conjunctivæ. ....
——— corneæ. 1

R.

Rhyas. ....
Rhytidoſis. ....
Rubor marginum palpebrarum. ....

Pag.

S.

Sarcoma palpebrarum. . . . 23
Scheroma. 47
Scirrhus palpebrarum. . . . 23
Spaſmus palpebrarum. . . . 45
Staphyloma. 19
Strabiſmus. 208
Symblepharon. 19
Synchyſis. 169
Synizeſis. 121

T.

Tetanus bulbi. 114
Trachoma. 29
Trichiaſis. 15
Pag.
Turbiditas humoris aquei. 136
Tyloſis. 42

U.

Ulcus albugineæ. 88

V.

Varicoſitas conjunctivæ. . . 85
Verruca palpebrarum. . . . 28
Viſus nebuloſus. 201
——— reticulatus. 200
Vulnus bulbi. 116
——— corneæ. 104
——— iridis. 126
——— palpebræ. 43
——— ſupercilii. 15